BIBLIOTECA NAZ.
XXVII*
A
42
NAPOLI

S - C ~~86~~ 87.

XXVII*
a
42.

Digitized by Google

[illegible] Google


MICHAELIS
IOSEPHI
MORELI
CARMINA

MICHAELIS JOSEPHI
MOREI
CARMINA.



BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

ROMÆ, M.DCC.XL.

Typis Jo: Zempel propè Montem Jordanum.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google



SERENISSIMO
FRIDERICO CHRISTIANO
Regio Poloniarum, & Electorali
SAXONIÆ PRINCIPI.

MICHAEL JOSEPH MOREI
Felicitatem.



Emo erit, Serenissime Princeps, *qui mirari poſſit, me carmina hæc, qualiacumque ſunt, tuo nomini nuncupare:*

cum enim Arcas ſim, & eorum pleraque in Arcadum cœtu recitaverim, cui potius debebantur illa quam Tibi, qui & magnanimorum Principum ſequutus exempla, Paſtoritio inter Arcades Lusatii *nomine appellari non renuis, & Arcadicos congreſſus Regia vultus tui majeſtate ſemel, iterum, ac tertiò augere dedignatus non es? Equidem memini, ſemperque meminero Humanitatis illius Tuæ, quâ me, cum aliquot ex iis Lucubrationibus recitarem, excipere conſueveras, ut mihi quidem Virtutes tuas cæteras Hæc una maximè Benignitas illuſtrare videretur; quamquam fuit hæc quidem omnium, cum Romæ fuiſti, vox, & conſenſus; qui licet in Te Auguſtæ Stirpi non imparem Animi Altitudinem, Egregiam Indolem, & Ingenium, Re-*

galem

galem Munificentiam, ſingularem denique Pietatem vehementer ſuſpicerent; capiebantur tamen neſcio quomodo Humanitate hâc Tuâ, & Clementiâ: Credo, quod Virtutes cœteræ in Regali faſtigio poſitæ ità admirationi ſunt, ut timeri etiam velint: Humanitas una eſt, & Benignitas, quæ ità diligi mavult, ut dum ſociarum Virtutum, veluti oblivi-ſcitur, eas Hominibus jucundiores, atque adeò admiratione digniſſimas videatur efficere. Patere itaque, SERENISSIME PRINCEPS, *ut Virtuti huic tuæ, cui tantum debeo, quantum ne cogitatione quidem aſſequi poſſum, tenue ſaltèm hoc laudationis Teſtimonium impertiar. Quod quidem, ſi Regiæ Tuæ Magnitudini impar nimis erit, ac perexiguum, Illa eadem me, cum apud cæ-*

teros,

teros , tum apud Te ipſum Benignitas Tua vindicabit .

Romæ Non. Jan. Anni MDCCXL.

LE-

Digitized by Google

LECTORI.

PRimum omnium, Catholicæ Romanæ Eccleſiæ ſe eſſe filium: Ideòque Hetnicorum quæcumque redolent religionem Poeticè accipienda Author declarat.

Deindè, ut celeberrimæ Arcadum Accademiæ (cui à trigintà fermè annis nomen dedit) inſtituto inſerviret, perpetuum ſtyli tenorem, & perfectam, maximè in Eclogis, Veterum imitationem fatetur aliquando ſe non ſervaſſe.

Tum, ſe plurima admonet ſuorum carminum ante Editionem rejeciſſe, non pauca etiam ipſo Editionis tempore; utinam plura! niſi quod vel argumenta, vel cauſæ etiam aliæ fuerunt impedimento.

Poſtremò, menda plurima irrepſiſſe in Editionem non negat; verùm aut ea calamo ſuſtulimus, aut Lectoris Ingenio, ac Judicio, ut Æ pro Œ, Ch pro C, E pro Æ, I pro Y, & alia hujuſmodi emendanda relinquimus.

AP-

APPROBATIONES.

Reverendiſſimi Patris

D. JOANNIS FRANCISCI BALDINI

Cler. Reg. Congregationis de Somaſcha, Sacrarum Congregationum Rituum, & Indicis Conſultoris, ac S. Officii Qualificatoris.

LEgi, mandante Revmo P. Nicolao Ridolfi Sac. Ap. P. Magiſtro Librum inſcriptum, *Michaelis Joſephi Morei Carmina*, & nihil deprehendi a Fidei Chriſtianæ, & morum Regulis alienum. Falſorum Deorum, Dearumque nomina in gratiam latinæ Poeſis ab ſe uſurpata eſſe Auctor declarat. Carmina ſuâ ſe Facilitate, Venuſtate, & Elegantia commendant, quorum editioni lubens ſubſcribo.

Ex Collegio Clementino hac die 6. Maii 1739.

D. Jo: Franciſcus Baldinus
C. R. Congr. Somaſch.

Do-

Domini Abbatis

PHILIPPI D' AZON,

Publici in Collegio de Propaganda Fide Eloquentiæ Profeſſoris.

CArmina, à celebri Vate *Michaele Joſepho Morei* elegantiſſimè de ſuo more conſcripta, juſſu Reverendiſſimi P. Nicolai Ridolfi S. A. P. Magiſtri attentè perlegi; & cum nihil in iis deprehenderim, quod vel morum diſciplinæ adverſetur, vel orthodoxæ Religioni minus conſentaneum videatur (quidquid enim Veterum fabulas redolet, poetica tantum ornamenta eſſe præclatus Author declarat) typis digniſſima eſſe cenſeo.

Ex Collegio Urbano hac die 20. Maii 1739.

Canonicus Philippus D' Azon.

Impri-

Imprimatur.

Si videbitur Reverendiſs. Patri Mag. Sac. Pal. Apoſt.

Ph. Spada Archiep. Theodoſiæ Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Ridolfi Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Præd.

AD

AD FRIDERICUM CHRISTIANUM

Regium Poloniarum, & Electoralem SAXONIAE PRINCIPEM;

Inter acclamatos Arcadiæ Paſtores

LUSATIUM ARGIRÆUM.

EPIGRAMMA.

CArmina ter denos mihi quæ ſunt nata per annos,
  Subiiciunt oculis ſe, FRIDERICE, tuis.

Forſitan æterna latuiſſent nocte ſepulta;
  Ni tua juſſiſſet dextera luce frui.

Sume igitur, PRINCEPS, tua quæ jam ſpontè fuiſſent;
  Quæ tua munifica cogis & eſſe manù.

Quod ſi dedeceant hi Regia Nomina verſus,
  Nec titulos æquet ruſtica Muſa tuos:

Saltem animo excipiat LUSATIUS Arcas amico,
  Quæ cecini, Latijs dum vagor Arcas agris.

SOMNIUM.

Dictum in Arcadum Parrhaſio Nemore in Exquiliis
Anno 1710.

ÆStus erat, medioſque herbas armenta per agros
Tondebant, ſteterantque canes, ſteterantque bubulci:
Intempeſtivus clauſit mihi lumina ſomnus,
Laſſaque frondosâ projeci membra ſub ulmo.
Viſus eram Grajas adiiſſe per æquora Terras;
Viſus & Arcadicis tandem conſiſtere in arvis.
Omnia quæ fiunt inter Vos, omnia famâ
Arcadas audieram quæ jam feciſſe vetuſtos
Omnia viſa mihi; ſiquidem ſic ſomnia ludunt;
Quæ legimus, quæ ſentimus, quæ luce videmus,
Illa eadem nobis ſub imagine noctis obumbrant.
Vix ingreſſus eram, mihi ſe pulcherrima primò
Offert planities, hanc plurima protegit arbos,
Plurimus & raucis fons ornat, & irrigat undis.
Singula dum luſtro, veteres hinc inde ſodales
Affari, & notos gaudebam cernere vultus.
Eurindus primò, mox & mihi viſus Alexis.
Nec procul Uranius, cum Tyrſi, Eriloque Semirum,
Quique prior Phœbi nos duxit ad antra, Cloantum,
Trinurum, Tyrrhum, Didalmum, ipſumque Syralgum;
Quin tecum, Euryale, Eugyldum per amœna videbam,
Errantem hàc illàc, cumque Automedonte Dareta.
Obſtupui tum cum collectos undiquè vidi,
Qui modo diverſis degunt regionibus; illic
Cernere erat quos Arnus habet, quos alluit ingens
Eridanus, qnos Sebethus, quos Abdua, quique
Italiæ montana colunt, vel litus utrumque.
Illic Athelmius, Dubenus, Enotrus, Ateſtes,

Almaſ-

Almaſpes, Eubenus item, Lindorus, Agenus,
Lyſus, Ariſtæus, Mileſius, Emarus; illic
Callimachus, Mæon, Felicius, Acis, Alarcus,
Inter quos tragico veſtitus crura cothurno
Oryldus Meropes repetebat ab aggere caſus.
Nec ſatis: extincti noſtræ ſacra nomina ſylvæ
Euganius, Polybus, Jaſytæus, Idalgus, & Idmon
Hinc illinc viſi mihi ſunt; ſtupefactus Opheltem
Anycium, Eucratem, Eronemque, Lycumque, Laconemque
Intuitus, dextra illorum, alloquioque fruebar.
Quippè homines quamvis mortales fata crearint,
Ignoſcunt tamèn illa Viris, tamèn illa Poetis,
Et nova dum reſecant ſubtexunt ſtamina Parcæ.
Sic dum defunctos nos hic lacrymamur amicos;
Illic æternæ revireſcunt munere vitæ.
Circum ibam tantos cupidus dignoſcere Vates,
Cum procùl hoc ipſum ſecreta in parte theatrum
Aſpexi, tali fabricata ſedilia gyro,
Talis erat Vatum ſpectatorumque Corona,
Taliter & vitis reſidebat Apollo ſub umbra.
Tunc lepidum de more Epigramma canebat Eraſtus;
Ludicra materies: mus, qui rupto ordine rerum
Hoſtis inoffenſus lactatur ab ubere Felis.
Quiſquis adeſt plaudit, pendetque canentis ab ore.
Poſt illum placido placidiſſimus ore Palæmon
Incipit ingratæ vitium deſcribere mentis
Tam benè, tam clarè, tam dulci carmine, ut illum
Admirati omnes læto clamore ſæquantur.
Mox alii circum recitant ſua carmina Vates;
Sunt bona qui recitent, ſunt qui medioeria, ſunt &
Qui mala: perfectus namquè ut dicare Poeta,
Non ſatis Arcadicis tua ſcribere nomina Faſtis:
Claros ingenium Vates, ſudore parata
Virtus aſſiduo, ſtudium multiplicis horæ,

Judiciumque facit : neſtas niſi talia , numquam ,
Crede mihi , optatâ cinges tua tempora lauro .
Prætereo , ſacrumque nemus , tacitoſque receſſus
Ingredior , quà ſe interius denſiſſima ſylva
Implicat , agreſte intueor conſurgere Templum .
In medio Capripes ingenti marmore ſculptus
Pan Deus Arcadiæ , Pan formidabile Numen
Conſpiciendus erat ; circum Faunique fugaces ,
Sylvanique adſunt celeres ; Satyrique bicornes .
Plurimus ante aram ſuccincta in Veſte Sacerdos
Adſtat & aſſidua Te , Pan, Te voce ſalutat ,
Adiicit & laudes : Tu Paſtoralia curas
Agmina ; Te natura Patrem , Te deniquè Regem
Agnoſcit pecus omne : Tibi ſua ſemina Tellus
Submittit , ſuaque aſtra polus , ſua flumina Pontus .
Per Te Flava Ceres crines præcingit ariſtis ;
Per Te paciferas oſtentat Pallas olivas ;
Plenaque ridenti ſpumat vindemia Baccho .
Addit ut accenſus Nymphæ Syringis amore
Illam per montes , per devia luſtra , per amnes
Ponè ſequens ieris , donec Ladonis ad undas
Videris (ah pietas !) cannam evaſiſſe paluſtrem .
Mox ut ſeptenam compegeris arte cicutam ,
Dixeris & charæ Syringa è nomine Nymphæ ;
Undè vigor noſtris , noſtris decus undè Camœnis
Provenit , & noſtræ deſumpta inſignia gentis .
Vidi & biſſenos ſinuoſa in Valle ſedentes
Arcadiæ Proceres , Paſtoralemque Senatum ;
Quos inter placidus partim , partimque ſeverus
Eminet , Arcadiæ qui temperat omnia , Cuſtos .
Præcipuas illic curas , & publica tractat
Pondera : Paſtorum ſtat circum turba minorum .
Mira quidem referam : parvo dum ſingula vitro
Contemplor , meme vocat ille , & fauſta precatus
Numi-

Numina, pelliceo Scapulas mihi cingit amiſtu;
Dat capiti ſertum myrto, Lauroque decorum,
Arcadicumque pedum manibus committit, & eſto
Arcas, ait, dignoſque canas hoc nomine verſus.
Tunc ego pro tanto jam reddere munere grates,
Et vocem ad cantum commotâ mente parabam;
Somnia cum paritèr, paritèr cum ſomnus abivit.

FIGURÆ.

ECLOGA.

Acta in Arcadum Nemore Parrhaſio in Exquiliis
Anno 1711.

Alcon, Nytilus.

VIrginis ad Templum, ferratæ a nomine Cryptæ
Jamdudum quod nomen habet, latèque refulget
Albanos inter colles, & Tuſcula Tempe,
Undique Paſtorum numerus convenerat ingens,
Quiſque ſoluturus magnæ pia vota Parenti,
Illius & laudes attollere quiſque paratus.
Mox ubi de Templo, Divinis ritè peractis,
Molle ſuper pratum, quod & hinc, quod & indè pateſcit,
Devenere omnes; Alconem Nytilus, ut ſe,
Protinùs invitat, paret ad certamina cantus.
Nec mora: ſacra ſacris miſcentes facta Figuris,
Alterniſque ambo certantes, ſic prior Alcon
Virgine Matre ſuper, ſic Nytilus indè canebat.
Alc. Aſpicis, ut nitidus, diveſque ſalubribus herbis
Undique concluſus denſis ſit ſepibus hortus,
Oblectetque oculos, atquè omnis odoribus halet?

Virginis ille quidem nulli quæ pervia culpæ,
Ille eſt, ſi neſcis, pulcherrimus hortûs imago.
Nyt. Aſpicis, ut riguis, diveſque ſalubribus undis
Fons intactus adhùc dextrâ obſignetur amicâ,
Ne vitientur aquæ, diris pateantque venenis?
Virginis ille quidèm, quæ nulli obnoxia damno,
Ille Pudicitiæ Fons eſt illimis Imago.
Alc. Monte ſuper ſacro, foliis, truncoque verendum
Innocuas inter flammas, quæ damna minentur,
Pinge Rubum; Rubus ille Tuos, deſignat honores,
Virgo Parens, nullis quæ devaſtanda ruinis
Tuta ſedes, &, quæ ſunt circùm incendia, rides.
Nyt. Vellus in arenti madidum Tellure, madenti
Exprime Vellus idem, quod mox areſcat in illa;
Vellus in arenti madidum, Velluſque madenti
Arens in terra, Tibi convenit, Optima Virgo,
Quæ Mater, quæ Virgo horâ diſtingueris omni.
Alc. Eſt mihi, quæ Campo denſiſſima ſurgit aperto,
Palma ferax, cunctis procerior unica Plantis;
Quàm benè fœcundæ latitas ſub Imagine Palmæ,
Innumeris, Virgo alma, Tuis quæ clara Trophæis
Noſceris, & foliis, & fructibus omnis abundas!
Nyt. Cedrus in aprico poſita eſt mihi vertice Collis:
Ardua, quæ carie nunquàm conſumitur ullâ;
Quàm benè perpetuæ latitas ſub Imagine Cedri,
Alma Parens, omni mortis quæ tempore victrix,
Virtutum latè ſuaves diffundis odores!
Alc. Iridis aſpicio varios ſi quando colores,
Pacis & Augurium memini, Fœduſque Tonantis;
Te quoquè, Te video ſplendere ſub Iride, Virgo;
Protinùs & dico: Tu pulchrior Iride firmas
Noſque, Deumque inter manſurum in ſæcula Fœdus.
Nyt. Intueor ſiquando Mari conſurgere Nubes,
Optatis quæ mox fœcundent imbribus agros,
Te

Te quoquè, Te video, Virgo, ſub nubibus illis;
Atquè, ex Te, dico, meliori nube, bonorum
Mille fluunt imbres, undè omnis Terra redundat.
Alc. Dum furerent undæ, dum Terra periret in undis,
Una Noe non ceſſit aquis ultricibus Arca;
Una Heſter rigidi non paſſa eſt juſſa Mariti,
Tutaque communem ſupra ſtetit unica Legem.
Nobilior Tu, Virgo, Heſter, Tu dignior Arca.
Nyt. Iſacidum quaterent cùm triſtia prælia Gentem,
Fœderis una fuit pro defenſoribus Arca;
Una, ſuos premerent cùm ſæva pericula Cives,
Rettulit è cæſo Judith Holopherne Triumphum.
Tu, Virgo, Juditha, Novi Tu Fœderis Arca.
Alc. Tu victrix Hyael, Victrix Tu Debora, prudens
Abigail Tu, Virgo; Michol Tu Sponſa fidelis.
Te Platanus, quæ propter aquas ſuccrevit in altum:
Te Roſa, Te moſtrant Oleæ, Te Lilia ſignant.
Nempè Tuas Laudes quæcumque creata loquuntur.
Nyt. Tu, Virgo, Tu pulchra Rachel, Tu caſta Rebeccha,
Tu Jochabeth, Tu Sara, Tuâ verè inclytâ Prole.
Nuncia Tu Pacis Volucris, Tu Fœmina fortis.
Te Vates cecinere olim, cecinere Sibyllæ.
Prodigium omne Tibi, Tibi præluſere Triumphi.
Virgine Matre ſuper pulchris hæc ambo Figuris
Alternis cantant inter ſe verſibus, ambos
Paſtorum manus ampla probat; plauſuque frequenti
Omne ſonat Pratum, ſonat illi ſubdita Vallis,
Et Nemus, & Colles reſponſavere propinqui.
Mox ad Templa ruunt iterùm, atquè in genua voluti,
Voce iterùm ſacras cecinerunt ſupplice Laudes,
Et Magnam lacrymis exoravere Parentem.

IN NATIVITATE D. N. JESU CHRISTI

ELEGIA.

Dicta in Arcadum Cœtu in Cancellaria Apoſtolica Anno 1711.

NUnc Ego Tarpejas aſcendam fervidus Arces.
Sentio: fatidico corda furore calent.
Nunc Tyburtinæ referam ſacra dicta Sybillæ,
Primaque naſcenti, quæ data Templa Deo.
Vera cano, ipſa ſuis Vates mihi nuper in antris
Hoc retulit factum: Credite, vera cano.
Felix Occaſo, felix Oriente ſubacto,
De tribus Auguſtus jam ſuper unus erat.
Expectata diu Pax viſerat aurea Terras,
Jura tamen Terris non niſi Roma dabat.
Mos erat, ut victor Capitolia celſa ſubiret,
Et ſuperis grates, exuviaſque daret.
Forte Diis & Cæſar ovans ſua dona ferebat,
Adſtabatque operi plurima turba ſacro.
Ecce repentino quatiuntur Templa fragore,
Fulget & in medio Virgo verenda choro.
Voces Virgo jacit, ſunt jactæ fulgura voces,
Pulcher & horrendo ſpirat ab ore furor.
Albuneæ ſum, Cæſar, ait, vetus accola Sylvæ:
Præruptis Anio me veneratur aquis.
Quid tibi quid plaudis pacato Turgidus orbe?
Irrita quid Superis Munera ferre paras?
Armorum forſan pacem hanc opus eſſe tuorum?
Aut miſiſſe tuos credis ab axe Deos?

Falleris;

Falleris ; eſt major rerum qui naſcitur ordo ,
Major & effectus , cauſaque major ineſt .
Naſcitur æternæ Rex tandem Pacis , & auctor ;
Eſt bene : Pacificum Pax decet iſta Deum .
Novimus ; unanimes quod prædixere Prophetæ ,
Quod timuere diù Tartara , tempus adeſt .
Corruit Ara Jovis , ceſſant Oracula Delphis ;
Flete Sacerdotes ; numina veſtra ſilent .
Circumſtat Cybelem Natorum turba Deorum ,
Et matrem illacrymans quæ peragenda , rogat .
Mars fugis ? invictum dextrâ quid proiicis enſem ?
Tutelæ nonne eſt credita Roma tuæ ?
Sed fuge : Majori munitur Præſide Roma ,
Ridet & hoſtiles te fugiente minas .
Priſca receſſerunt : primi monimenta Quirini
Intereunt ; leges ſurgere cerno novas .
Solvite , Lictores , antiquos , ſolvite faſces ,
Veſtraque Romani ponite Signa Duces .
Vexillum video ; vexillum ſuſcipe Roma ,
Vincendi certum quod tibi pignus erit .
Auguror : exactis tibi denique ſerviet annis
Quidquid habet Tellus , quidquid & æquor habet .
Nec ſatis ; æthereis præponeris arbitra portis ,
Sentit & imperium janua nigra tuum .
Felix Roma , tuis olim inſignita triumphis ;
Cumque tuo felix Tybride , Roma recens .
Tybri pater , rapidos pauliſper comprime fluctus ,
Atque tuum dextro è margine tolle caput .
Res nova ; res ingens ; humilem mirabere fontem
Poſthabitis oleum , qui modo currit aquis .
Num ſatis hoc ? ipſi teſtantur gaudia Colles ,
Exquiliiſque novum creſcit in Urbe decus .
Dextræ opus ætheræ video conſurgere templa ,
Templa per æſtivas nobilitanda nives .

Virgi-

Virginei ſunt hic monumenta perennia partus:
  Stat vigil ad cunas cum pietate fides.
Sed tibi portentum liceat jam grande videre,
  Quæque optare nefas gaudia, Cæſar habe.
Aſpice: diductis aperit ſe nubibus aer:
  Aſpice cum puero Regia mater adeſt.
Virgo parens illa eſt, ſæcli Regina futuri;
  Æterni ſoboles eſt puer ille Patris.
Aſpice: ſed verum: num ceſſas? Numen adora;
  Dixit, & aſpectu numinis iſta ſilet.
Interea Cæſar propiùs nunc cernere Matrem,
  Nunc puerum vellet, nunc & utrumque ſimul.
Depreſſit bis, terque oculos, bis terque levavit;
  Lumina ſed tandem victa nitore cadunt.
Ut ſibi ſe reddit ſolos adſtare miniſtros,
  Sola quod in medio ſtet Jovis ara videt.
Protinus impatiens, quo tu Sanctiſſima Vates,
  Quo puer, exclamat, quo bona Virgo? redi.
Quam rogo, parva mora eſt: licet abſcedatis ab iſto
  Non tamen abſcedet gloria veſtra loco.
Sic ait; attollique ingentem præcipit Aram.
  Hinc PRIMOGENITI eſt ARA vocata DEI.

EX HOMERI ILIADIS Ω.

PAtrocli manes poſtquam ſatiavit Achilles
  Hectoris opprobrio: ter poſtquam exangue cadaver
Theſſalicis raptavit equis ob mœnia Trojæ,
Membra ſui Nati canibuſque, Avibuſque relicta
Iliacâ longè Priamus ſpectabat ab Arce,
Multa gemens, ignominiam, caſuſque ſuorum,
Infelix Genitor; quid enim poſt funera cæſi
Hectoris, heù miſero ſupereſt cur vita Parenti?

Dixe-

Dixerat; & Phrygias Regali è pectore veſtes
Reppulit, & turpi fædatus pulvere raram
Canitiem, pulloque humeros indutus amictû,
Egreditur tectis, & Fœmineo comitatû
Caſtra inimica petit, facies miſeranda vel hoſti,
Muneribus, precibuſque Animum moturus Achillis,
Ut velit exanimis corpus ſibi reddere Gnati.
Vix ad conſpectum ſtetit illius, utraque longè
Brachia protendens lacrymis ità fatur obortis.
Mira quidèm, tibi quæ nunquam ſperanda fuiſſent,
Ut nunc Regnatorem Aſiæ, lateque potentem
Imperio ingenti, quem Græcia tota timebat
Te ſine Grajugenum ſpes una laceſſere bello,
Orantem Priamum aſpiceres, & ſupplice vultû
Ante tuos adſtare pedes, & tendere palmas.
Qui fuerim, ex te jam ipſe potes cognoſcere, & ex his
Argolicæ ducibus Pubis, qui mille carinis
Ægeum texere mare, tanquàm orrida bella
Non Phrygiæ Regno vellent inferre, ſed Orbi.
At qualis modò ſim, & quantum mutatus ab illo
Ipſe vides: ſupplex Genua en complector Achillis,
Oſculaque heù dextræ quæ cæſi ſanguine nati
Fumat adhùc, renovatque metus, Priamoque reportat
Jam non eſſe Patrem, quis credat? figere cogor.
Non ego pro Trojâ, pro viva conjuge, proque
Tot Nuribus viduis, pro noſtrâ deniquè vitâ,
Te rogo: non etenim te quidquam tale rogarem:
Unum oro: exanimis corpus miſerabile nati
Redde Patri, minimum eſt, quod poſſim poſcere, quodque
Tu poſſis Patri de erepto reddere Nato.
Da mihi quod mox nec Priamus, nec habebit Achilles,
Sola ſed obſcurâ mors occultabit in urnâ.
Nondum oculis cecidere minæ? poſuitque furorem
Vultus? & irata rubet inclementia fronte?

Me

Me miſerum! Regiſque dolor, lacrymæque ſeniles,
Nilque meæ valuere preces; quidnam queror ultra?
Verba quid ante hoſtem non proficientia perdo?
Si Natum Patri tenuis mihi reddere, Nato
Adde Patrem, tumuloque ambo condamur eodem,
Dixit, & obſtupuit, Voxque intercepta dolore eſt.
Excuſſus tandem oh utinam melioribus, inquit,
Auſpiciis ſuperi ſervaſſent Hectora, proque
Hectore me potiùs Pelidis fortia tela
Preſſiſſent, damnoſum urbi, invalidumque ſenectâ,
Nec Prece nunc inhonora exoraremus Achivos,
Nec Priami cineres uxor mea poſceret; Hector
Certè alio faceret, prece quam ſibi corpora reddi.
Æacidè parcas; licet hoc dixiſſe Parenti.
Hectora dum laudo, quoque Te Fortiſſime Grajum,
Hectora qui ſolus potuiſti vincere, laudo.
Aſt Priami ſi nulla hoſtis Te cura remordet.
In Priamo proprii Te tangat immago Parentis.
Vivit adhuc Peleus Genitor tibi, vivat, & annos
Impleat incolumis tecum, nec funere tali
Incuſet nimium productæ tempora vitæ.
At quoque Tu Pater es; Genitor miſerere Parentis.
Munera ſi poſcis pro corpore, munera tollas.
En Phrygias veſtes, quas olim geſſerat Hector
Conjugis Andromachæ manibus matriſque verendæ
Arte laboratas, ſed non Pelidis in uſus
Tradimus has etiàm, ſint & pars magna Triumphi,
Et ſimùl accipias Auri, Argentique Talenta.
Talibus orabat; lacrymæque per ora volutæ
Regia, cæperunt iras avertere Achillis;
Qui Patris, & cari defixus imagine Pyrrhi
Paullatim tacitâ ſenſit manſueſcere curâ
Pectus, & invito lacrymas exire Patroclo.
Nec mora. Rex, dabimus, dixit, Trojane quod optas;
Corpo-

Corpore in Hectoreo noſtras explevimus iras,
Jam ſatis, & magnas Patrocli miſimus umbræ
Inferias; ſtygias ultus tranſire per undas
Jam poterit, nobis liceat modò parcere victis.
Munera tecum habeas; non munera poſcimus; hic &
Bella gerit, non buſta auro permutat Achilles.
Sic ait, & famulis frigentia membra lavari;
Veſtibus inde tegi corpus, curruque reponi
Imperat, extincti ne turpia membra videndo,
Fœdatoſque Pater vultus, atramque cruento
Pulvere cæſariem, confoſſaque pectora largis
Vulneribus, lacrymas iterùm renovaret inanes,
Accepto Priamus, comiteſque cadavere currus
Aſcendunt, repetuntque urbem, quæ plurima contra
Fuſa ruit, gemituſque inter, lacrymaſque ſuorum
Excipit, atque illud ſub avita ſepùlcra recondit.

EPINICIUM.

ECLOGA.

Dicta in Arcadum cœtu ſuper Aventinum Anno 1717.

TYbridis ad ripas nuper convenerat omnis
Arcadiæ cantare manus aſſueta; novaque
Concita lætitia victricia Cæſaris arma
Carmine fæſtivo celebrare parabat; In illa
Cum medius turba vocemque manumque Coralbus
Creditus attollens ſenior, deſiſtite, dixit,
Arcades. Utque omnes ſiluiſſe intelligit, ipſe
Os, animumque Deo plenus ſic farier infit.
Quis me Pierides, quis me novus excitat ardor

Men-

Mentem, animumque trahens ſecum ? Quonam ire jubetis?
Strata Cadaveribus mihi quæ datis arva tueri,
Flumina quæ nigro ſpumantia ſanguine ? quoſque
Albentes circum nudatis oſſibus agros ?
Aera quæ volucris generoſis concutit alis,
Ungue gerens curvo ſtridentia fulmina ? Noſco,
Auſtriacas jam noſco Aquilas; quiſnam ille feroci
Qui vehitur ſublimis equo ? qui cuncta timore
Complet, & invicta paſſim dat funera dextra ?
Noſco Virum, o Divæ, noſco gladiumque potentem,
Et galeam Dominæ Munus venerabile Romæ.
Num virtus celebranda Ducum ? Num provida bello
Conſilia ? extructi num propugnacula Valli
Dicemus ? Miro trajectaque flumina ponte ?
Turpiter hinc retro caſtris inimica relictis
Agmina verſa fuga, devictas cernere Turres
Inde licet, nulloque redemtos ſanguine muros,
Undique victoris nomen Ducis, undique Magni
Nomen Clementis, Magni ſonat undique nomen
Cæſaris, ingentique exultant omnia plauſu.
Vos quoque Cæſareis plaudit dum quiſque triumphis,
Plaudite feſtivo mea carmina plaudite cantu.
Quis neget aſpectu Superos tibi, Roma, ſecundo
Imperioque favere tuo ? quæ pallida Nuper
Cœlo vota dabat, ſparſos nunc fronte capillos
Componis, meritoſque Aris indicis honores,
En domitus rurſus, rurſus tuus ò fugit hoſtis;
En fugit, & verſis repetens trepidantia ſignis
Mænia Byzanty, terroribus implet Abydon,
Qui modo tot populis, qui tot circumdatus armis,
Dilecti manes juraverat ante Maconis,
Nonniſi potato ferrum diſcingere Tybri.
Tybri Pater, Dominæ jam tutus ab aggere Ripæ
Tolle caput, noſtraſque hilaris ne deſpice Muſas.

Salve

Salve iterum Tybri felix, tibi munere Divum
Conceſſum pulchro ſeù tempeſtatibus actos,
Seù grandes virtute tuæ intra mœnia Romæ
Excepiſſe viros, gremioque fovere ſuperbo
Heroas: Salve fluviorum maxime, ſalve
O Tybri, quaſcumque metit Terra Hungara palmas
Rere tuas, totus ſiquidem tibi militat Orbis,
Et tibi Threicio creviſſe e ſanguine lauros.
Plaudite feſtivo mea carmina plaudite cantu.
Inclyta cui dabitur tua facta æquare canendo
O ſpes Europæ, Italiæ nova gloria? Menti
Pervia quæque tuæ, Dux invictiſſime, jamque
Eugenii ſolam propius timet Aſia dextram,
Atque unum Eugenii longè pavet Africa nomen.
Prævifo ſeù Tu matures bella triumpho,
Prælia ſeù tentes, medioſque feraris in hoſtes
Conſilio, ferroque vales: ſic tempore eodem
Cunctando Fabium, vicendique impete Druſum
Scipiadaſque refers, ſuperans pietate Camillum;
Totque olim Heroas nunc nos ſpectamus in uno.
Plaudite feſtivo mea carmina, plaudite cantu.
Tu quoque, cui pleno arridet fortuna favore
Subdita cui virtus, nebulis cui militat æther,
Carole, magnanimo laus acceſſura Parenti;
Neu deſiſte armis penitus fera Thracia donec
Corruat Auſtriacis jam debellata ſub armis.
I ſequere, i Cœlum dedit omina proſpera: tantos
Uni nempe tibi ſervarunt fata triumphos.
Plaudite feſtivo mea carmina plaudite cantu.
Nunc te Magne Parens, ætas quo noſtra ſuperbit
Alloquor, Audacis Clemen's mirabere Vatis
Ingenium, nomenque meum licet illud in Urbe
Floreat, Arcadicos reſonet nec vile per agros,
Ignotum tibi forſan erit; tamen ipſe sereno

Ne

Ne renue auguria, & præconia ſumere vultu.
Quidquid adhuc geſtum eſt, quidquid ſit forrè gerendum
Scilicet, alme Pater, peditumque, equitumque Phalanges,
Claſſis in Ægæo, Corcyra ex hoſte recepta,
Et Themes, & Scythico decurrens Sanguine Savus
Uni cuncta tibi debentur Maxime Clemens.
Tota hæc, tota tuæ debetur Gloria menti,
Debetur lacrymis, debetur denique votis.
Et memini Exquiliæ cum nuper in æde Parentis
More triumphantis ſolito ſublimior ires
Feſtivas inter voces, populumque frequentem
Euge inclamantem, nec inanes undique plauſus
Cantantem, nomenque tuum ſuper aſtra ferentem.
Ipſe tibi, ceu nulla foret pars debita laudum,
Frontem inflectebas, oculoſque ſub aſtra tenebas;
Et quamvis tanto gauderes jure triumpho,
Sæpius & tenero miſceres gaudia fletu,
Non tamen oblitus Natorum vota tuorum,
Suppliciter pronos Te coram hinc inde potenti
Reſpiciens populos pandebas Æthera dextrâ.
Perge modo auſpiciis evertere funditus iſtis
Regna Aſiæ, Odryſiumque ſatis terrore Tyrannum
Perſequere oppreſſum; nova jam Fideique, tibique,
Regna para; erranteſque diu, quando annuit ipſe
Bellipotens Deus, ad tua ſigna reducito Gentes.
Tu vero innumeros, quod Roma, quod optet & Orbis,
Vive dies, vivatque tuum per ſæcula nomen.
Plaudite feſtivo mea carmina plaudite cantu.
Dixerat; Ingeminant feſtivos undique plauſus
Arcades, & læto repetunt præſagia cantu.

ADO-

ADONII.

Vivit in iſto
Quilibet Orbe
Reddere ſortem,
Tentat amicam;
Nemo nec optat
Vivere felix.
Irrequietus
Mille pericla,
Mille labores
Suſtinet æger;
Mille laceſſit
Pectora curis,
Mille fatigat
Numina votis,
Detur, ut olim
Poſſe cupitam
Tangere metam;
Detur, ut olim
Poſſe beatam
Vivere vitam.
Sunt, quibus aeris
Occupat omne
Gloria pectus.
Sunt, quibus angit
Cor perituri
Major in horas
Cura peculj;
Sunt, quibus una
Viſa placere
Blanda voluptas.
Ecce venuſta
Optat amatas
Iſte puellas
Vincere formâ.
Nocte dieque
Æra recenſet
Lætus, & ille
Cernit acervum
Creſcere. Dites
Navigat audax
Alter ad Indos.
Militat alter,
Sperat & inter
Horrida Martis
Prælia famam.
Ille vetuſti
Rudera Sæcli
Appetit. Ardet
Iſte Matheſin.
Hic Sophus eſſe,
Hic Medicus vult;
Iſte Poetæ,
Rhetoris ille
Nomen anhelat.
Parcite vecors
Turba; labores
Mittite: Inanes
Mittite curas.
Quæritur aurum,
Formaque fruſtra;
Gloria nulla;
Nulla voluptas:
Sit niſi vobis
Crimine purum

Pectus ab omni .
Unica certè
Semper ubique ,
Credite , felix
Moribus inſons
Eſt ſibi recti
Conſcia virtus .

E L E G I A.

NOn ſemper duro tellus laceratur aratro ;
Non ſemper dubias Navita ſcindit aquas ;
Devovet interdum veterem Gladiator arenam ;
Interdum Elæo pulvere ceſſat equus .
Otia perpetuo ſunt & miſcenda labori ,
Et requies ſtudiis invenienda meis .
Otia me poſcunt ; ſed quæ tamen otia Vatem
Conveniant , Phæbus quem probet eſſe ſuum ;
Nuper eram totùs rerum cognoſcere cauſas ;
Quo res naſcantur , quo pereantve modo :
An medio ſteterit Tellus immobilis Orbe :
An circum Solis præcipitetur equos :
Quomodo naſcantur flores , ut frondeat Arbor ,
Herbaque quæ proſit , quæque ſit herba nocens :
Qua venti , & pluviæ , qua ſint regione Cometæ :
Quo ſeſe obliquo fulmen ab axe rotet :
Voſque metallorum vires mihi panditis , altas
Cura ſpecus quibus eſt excoluiſſe , Deæ .
Nec minus errores Solis, Lunæque labores,
Utque magis Phæbe ſplendeat utque minus .
Hæc ego quærebam , ſtudiiſque immerſus in altis
Gaudebam integros præteriiſſe dies .
Inde dolor capitis , tardæque ad cætera vires
Et ſimilis ceræ flavus in ore color .
Nec tamen , ut vellem , poteram ſubducere mentem
His ſtudiis ; propius namque erat arte malum .

At

At vos iniicitis tandem mihi vincla camœnæ,
Atque iterum in veſtris cogitis eſſe choris.
Vos reducem excipitis; Vos docti ad culmina montis
Ducitis, unde ſuas ornat Apollo comas.
Phæbe Pater; ſi ſacra tuis ego ſigna reliqui
Militibus; fuga ſi crimine noſtra caret.
Et ſi ſæpè tuas ſtudui cognoſcere laudes,
Quæque Parens ſupra ſub pedibuſque foves.
Parce, precor; ſic nulla tuos nubecula vultus
Occulat, & fœtus diſſipet atra tuos.
Sic tibi ſubereſcat proles longiſſima vatum;
Plurima ſic tua per tempora laurus eat.
Hæc ego: ſic Phæbus. Parnaſſi aſcendere collem
Durum eſt, & pigros reſpuit ille Viros.
Scilicet inſtandum eſt; longo vix tempore Vates
Prodiit, eſt magni namque laboris opus.
Non tibi, non rapio laurumque, hederamque Poëtæ;
Ipſe tuas fugiens carmina perdis opes.
Perdis opes Vatum: magnum ſuper Æthera nomen,
Et dignum tota poſteritate legi.
Vis ergo eſſe aliquid? noli dimittere Muſas;
Iſtę ſint cymbæ, Portus & aura tuæ.
Nunc juvet Arcadicas numeris aptare cicutas;
Nunc juvet Heroâ bella referre tubâ.
Hactenus hæc Phæbus. Phæbum cognoſcere verum
Quis neget? Ipſe Deum, conſiliumque ſequor.

CLEMENTI XI. P. O. M.

De Victoria è Turcis relata Anno 1716.

EX HETRUSCO GASPARRI.

JAM tria luſtra (præcor tibi centum, & mille superſint)
Navita jactatam cum regis alme Ratem.

 Nec

Nec dum illi placidas blandiri vidimus auras;
Nec dum orta eſt illi non tenebroſa dies.
Nunc mugire ſolum, & tremere omnia vidimus, & nunc
Armenta occultam tota ſubire luem.
Nunc noſtros ſupra campos horrentia belli
Semina ſpargentes vidimus ire Duces.
Mox Aſiam Odriſiis armatam erumpere clauſtris
Europæ obliquis Regna tuentem oculis.
Tanta mole virum, quantam non viderit olim
Fervere Dardanio Xantus, & Ida jugo.
Victa tamen cecidit; tantæ victoria pugnæ
Tota tua eſt, CLEMENS; gloria tota tua eſt.
Fortunata dies, quæ longa incommoda penſat!
Tot merito annorum fletibus empta dies!

FUNEBRIA.

ECLOGA.

Acta Ludis Olymp. Dum in Arcadum proxime elapſa Olymp. defunctorum honorem celebrarentur. Eo ipſo die, quo lætiſſimum nuncium de fuſo Turcarum exercitu, & Alba Græca recepta Romam allatum eſt. Anno 1717.

Myræus, Phylocles.

Myr. Dic age quid ceſſas Phylocles cantare? tibi nam
Si memini, fuerat cantandi tanta libido,
Ut pugnam votis prævertere penè ſoleres
Impatiens, facilemque moræ, tardumque vocares
Cuſtodem, ludis qui nondum indixerit horam,
Nos & Olympiaco dederit concurrere campo.
Jam pugnæ accelerare diem, tardumque vocare
Deſine Cuſtodem; patet en tibi campus, & hora

Sæpe

Sæpe vocata venit: numne eſt tibi dicere promptum?
Scilicet eſt aliud ſibi fingere prælia mente,
Quam pugnare manu, mediâque inſiſtere arenâ.
Phyl. Quid poſſim, valeamque diù cognoſcis, & ultro
Objicis iſta mihi; noſtrum eſt linguâque, manuque
Quando opus eſt, uti; ſed & hæc tibi cedere fas eſt.
Verum ne rurſus Tu hæc noſtra ſilentia damnes,
Accipe cur taceam: non hæc certamina noſtro
Præconcepta animo, nec ſolis vocibus uti
Arcadas, Elæo reſperſos pulvere quondam
Credideram, Arcadicæ cum ſim novus incola terræ.
Aſt ego Olympiacæ certandum more paleſtræ
Ludorum audirem cum nomina tanta, putavi;
Atque ideo hos mecum cæſtus, habilemque pharetram
Attuleram, & longo duravi membra labori,
Proludens luctæ; at fruſtra: fruſtra & bona mater
Lubrica fallenti mea membra perunxit olivo:
Expectans ſiquidem currus, fremituſque rotarum,
Aurigaſque videre ſuper ſtimulare flagello
Tergora Cornipedum, & fugiendæ intendere metę,
Omnia muta ſilere, herbâque ſedere quietos
Paſtores video taciti ſub Apollinis umbrâ
Floribus incinctos mæſtis, triſtique cupreſſu.
I nunc ò Myrçe, & noſtra ſilentia damna.
Myr. O certè Arcadicæ, Phylocles, novus incola terræ,
Quem ſtudia, & noſtros mores neſcire putandum eſt.
Quære alias, poſſis queis te ſubducere pugnæ,
Quære alias cauſas: quamvis tibi carmina tardo
Improviſa animo numquam deſcendere dicas,
Non tamen effugies; & te cantare peritum
Novimus, argutum contraque ſteтiſſe Menalcam;
Corporis atque utinam pugnandum viribus eſſet!
Non mihi, non vires, non fortia pectora deſunt.
Phyl. Non equidem effugimus, nec tardo carmen ab ore

Proſilit, aut cantandi artemque, uſumque negamus.
Incipe: Tu noſtri da carminis argumentum.

Myr. Non opus eſt; ſed enim nos huc convenimus omnes,
Paſtorum ut ſacro placemus carmine manes.

Phyl. Sed quorum noſtro placandi carmine manés?

Myr. Illorum, qui curat oves, oviumque magiſtros
Cuſtos Arcadiæ, Arcadiæ pater Alpheſibœus
Nomina funereâ diſpenſat ſcripta tabellâ.
Sed quid plura? datam, ne te morer, accipe cartam.
Elige quos laudes; quos negligis ipſe libenter
Excipiam, alternis cantabimus ambo camœnis.

Phyl. Prima mihi ante alios venit hic Amiriſca legenti;
Sed quis erit notas poſſit qui dicere laudes,
Ac dotés Amiriſca tuas? Tibi Gallia cunas,
Sarmatia Imperium, Tellus dedit Itala ſedem;
Atque ingens quamvis, quamvis nil grandius illa,
Viſa tuis tamen eſt augeri Roma triumphis.
Haud tamen Arcadiæ es tot grandia munia, totque
Regales inter curas oblita; tuumque
Arcadas ad tectum Paſtores ſæpe vocaſti.
Ducite lugubres, ò Nymphæ, ducite pompas.

Myr. Armontis matrem celebrant tua carmina? noſtris
Filius occurrit celebrandus verſibus Armon.
Ah certè Hungariam ſupra, ſcythiciſque ſuperbus
Exuviis paſſim, ſinerent modo fata, feroces
Victori comes Eugenio ſæviret in hoſtes,
Tamque modo invictum virtute referret, & armis,
Quam prius ingentem referebat imagine Patrem.
Nos tamen, Europamque, ſuæque heu vota Parentis
Speſque tot, heu pietas!, mors immatura fefellit.
Dicite funereos, Paſtores, dicite cantus.

Phyl. Carmine qui cecinere; canantur carmine Vates
Primus hic Eudoſſus, qui carmine per mare magnum
Auſus ad ignotas Columbum ducere Terras.

Olli

Olli dum caneret dulcis ridebat in ore
Gratia, Paſtorumque adſtabat Turba canenti,
Atque hilari circum plaudebat voce theatrum.
Ille mihi quondam, dum per ſaxa invia Pindi
Duceret, in ſummo monſtravit vertice Phæbum,
Monſtravit muſas, & quo ſit fonte bibendum
Edocuit; meminiſſe juvat: mihi tradidit artem
Dicendi, nomenque mihi dedit Ille Poetæ.
Ducite lugubres, ò Nymphæ, ducite pompas.
Myr. Carmine cantandi Vates? cantemus Aruntem.
Gratus erat muſis, muſis mox Ille relictis,
Concepit graviora animo; me namque docebat,
Qualiter in Triplici Deus unùs imagine; qualis
Æterno Genitore ſatus deſcenderit aſtris;
Atque ita diluerit veteris veſtigia culpæ;
Qua teneat nos lege Deus; qua præmia lege
Diſpenſet Juſtis, quo torqueat igne rebelles;
Quove....ſed oh noſtrum non eſt tam magna referre,
Quæ [redacted] ſiluiſſe decet; nos olim hæc Ille docebat:
Grati hodie ad tumulum nos carmina reddimus Illi;
Dicite funereos, Paſtores, dicite cantus.
Phyl. Veſtrum opus,o Divæ,queis grandia nomina curę,
Diotimi meritum mandare in ſæcula nomen.
Veſtrum opus, o Divæ; memori vos mente repoſtas
Noſcitis & cauſas, atque omnia lapſa videtis;
Diotimus ſedenim memori quoque mente repoſtas
Noverat & cauſas, atque omnia lapſa videbat.
Sint qui mille legant, qui mille volumina ſcribant,
Poſſideant diti qui mille volumina cenſu;
Unus hic ingenio, cui par non ante repertum,
Pluſquam mille viri, quam mille volumina, ſcivit.
Ducite lugubres, o Nymphæ ducite pompas.
Myr. O Dea quæ cœlo nomen deducis, & aſtris
Uranie Jove nata præes; tibi cura ſit ingens

Alterii nomen, current dum ſiderà cælo,
Dum Phębum tellus, dum carmina Phębus amabit,
Vulgare, & tanto ne dedigneris Alumno.
Scis Dea, ſcis etenim quod vaſta per atria cœli,
Terrarum ingentes tractus, pelaguſque profundum
Non tantum Aſtronomus, ſed & ingens carmine Vates
Iverit, & ſolem propiùs, propiùſque recentes
Viderit inquirens, ſignum ferale, cometas.
Dicite funereos, Paſtores, dicite cantus.
Phyl. Hic mihi ſe gemini oſtendunt, Primus Philaretes,
Alter & eſt Hermes, ambo pietate, fideque
Et virtute pares; oſtro ſpectandus uterque
Dignus uterque cani.....At quæ vox quæ perculit aures?
Myr. Audieram Phylocles..quid nunc tot murmura? quiſnā
Ille triumphali, lætus qui terga fatigat
Præſultoris equi velatus tempora lauro?
Noſco equidem; noſco, fæliciaque omnia ſacræ
Frondis, Cæſareæque decus venerabile frontis.
Procubuere acies: rurſus fera Thracia victa eſt:
Ceſſit & Auguſtis iterum Græca Alba ſub armis.
Amplius haud certè noſtræ ſunt funera Gentis
Flenda hodie; majora premunt; majora canenda.
Phyl. Vos igitur, renuunt nam proſpera tempora luctus,
Parcite funereis ò Nymphę parcite pompis.
Myr. Voſque, novis quoniam licet exultare triumphis,
Mittite lugubres, Paſtores, mittite cantus.
Phyl. Quas tibi Paſtores, Dux inviciſſime, laudes
Dicemus? noſtris non hæc ſunt apta cicutis.
Vos ò, Vos melius decet iſta referre, feracem:
Qui Hungariam colitis, Vos ò, qui ſtrage recenti
Sanguineas potatis aquas; Iſtrumque, Savumque
Cernitis, & primâ memorandum cęde Tibiſcum.
Ducite ſolemnes, o Nymphæ, ducite Pompas.
Myr. Sub duce Magnanimo quæ non ſperare licebit,
Ar-

Arcades, Arcadiæ (lacrymis quis temperet ?) olim
Finibus expulſi ? rurſus fortaſſe licebit
Sub duce Magnanimo patrias inviſere Terras .
Patria ſalve iterum Tellus : ſalvete recepti ,
Quos deſiderio videor jam tangere colles .
Dicite feſtivos , Paſtores , dicite cantus .
Hoc cœlum , hoc belli ſpondet juſtiſſima cauſa ,
Hoc CLEMENS CAROLUSQUE,hoc & fortiſſima magni
Virtus EUGENII , & victurum in ſæcula nomen .

DE FRANCISCO GRIMALDI S. J.

Tyburi commorante, & libros de Urbana Vita Scribente.

Ad Gherardum Comitem de Gherardeſca.

CARMEN.

QUæ mihi ſilveſtres dictarunt carmina Muſæ ,
Grimaldo ſacras referentia carmina laudes ,
Excipe, Gherardeſca, altæ laus ò nova ſtirpi
Addenda , & Patriæ ſpes certè haud ultima noſtræ .
Carmina, dixerunt mihi Muſæ, carmina ſunt hæc
Gherardo mittenda tuo :num dignior alter,
Qui tibi ſit Patriâ , & ſtudiis conjunctus iiſdem ,
Quique tibi veros inter numeretur amicos ?
Adde quod & Vatem Vates quoque diligit Ipſe
Grimaldum , & tanto de Præceptore ſuperbit .
Ergo ades , ò Gherarde , leves ne deſpice luſus ;
Audieris mox ipſe tuæ me Grandia Gentis
Nomina cantantem , laudeſque , & facta tuorum
Dicentem , tragico facta heu referenda Cothurno ,
Adjicieſque meis decus immortale camœnis.
Urbe procul Dominâ , extremas Anienis ad undas
Forte ego conſtiteram , quà ſe prius edita ſenſim

Deji-

Dejicit, accliveſque ſalaria dividit agros.
Hic mihi ſunt viſæ fluvium dum miror, & ipſum
Impoſitum fluvio curvato tramite pontem,
Ex imo turbari undæ: Deus ecce repente
Fluminis ipſe Anio propriis impellitur undis;
Illum diſcinctis plures hinc inde capillis
Circumeunt Nymphæ proles ſua. Protinus illum
Ut vidi agnovi: talem ſub mœnia noſtri
Tyburis ex alto memini vidiſſe cadentem,
Fatidicæ tum cum prope diruta Templa Sybillæ
Nos quoque fatidica canerēmus carmina voce.
Obſtupui: numenque oculis, pedibuſque ſecutus
Greſſus continui, latas ubi Tybris in undas
Irrumpunt Anienis aquæ: hic nova monſtra, novumque
Prodigium; medio ſeſe attollebat ab alveo
Ipſe pater glaucâ Tyberinus arundine canas
Præcinctus, lauroque comas; Lupa fœta Gemellos
Illius ante pedes pueros lambebat; at Ille
Centum inter Nymphas dabat altè jura, ſuamque
Auguſtâ vultus referebat imagine Romam;
Atque ita pauliſper curſum laxaverat undis,
Sumeret ut ſolitum veniente Aniene tributum.
Amnibus hanc legem natura minoribus olim
Indidit, ut ſolemne aliquod de more tributum
Præter aquas, præter fluvialia dona, quotannis
Regi quique ſuo pendant; hinc ſæpius illi
Cum ſtabulis armenta trahunt, ſylvaſque, feraſque,
Paſtorumque caſas; Vaſtant latè arva, feraces
Et Cereris ſegetes, & amabile munus Jacchi
Secum aſportantes; fluvii quod & ante minores
Dant vectigal, idem dein flumina magna, ſed auctum
Communi ſemper coguntur reddere Regi.
Sic Tyberis pelago fert debita dona, ſuoque
Debita ſic Anio fert Vectigalia Tybri.

Ut ſtetit ante illum, forſan mirabere, dixit;
Forſan & irata pœnas meditabere mente,
Suppliciumque Pater quod munera ſveta negemus
Pendere, quæ non ipſe vides; ſed pone querelas
Pone iras, ò Rex, quovis majora tributo
Munera portamus; ſimul hæc, tollitque ſiniſtra
Partem operis, Grimalde tui, dein protinus addit.
Candida bis nondum reparavit cornua Phœbe,
Cum Tyburtinis ducentem Collibus horas
Aſpicimus, noſtræ jamdudum incognita Ripæ
Carmina qui cantat, proh qualia carmina! Vatem.
Nomen Grimaldus, ſacris venerabile Muſis
Nomen; aquas Pelagi, formidatumque Tridentem
Oceani teſtor Patris, mea litora numquam
Majorem excepiſſe animam, aut majora canentem,
Ille meis poſtquam Vates degebat in oris,
Eri dani Vates decus ingens, verſibus olim
Qui cecinit telo fruſtra impenetrabilis ullo
Orlandi furias, permixtaque amoribus arma.
Sæpe meis, auras quando hic permulcet, ab undis
Emergunt Nymphæ, viridique in margine lætos
Exercent ſaltus, imitantes blanda choreis
Carmina; quin etiam cantus dulcedine capti
Nos quoque muſcoſis crebro prodimus ab antris,
Noſtraque præcipiti ſubſiſtunt flumina curſu.
Quos Pater ipſe vides deſcriptos cortice nuper
Arboreo Vates deſcripſit cortice verſus.
Hos ego detraxi truncis; nec vile tributum
Credidimus, noſtro hæc laturi munera regi;
Tu vero hunc (manibus tendebat carmina) quamvis
Exiguum ne ſperne librum; docet iſte venuſtum
Qui deceant hominem mores, præceptaque Vitę
Sufficit Urbanæ; quamquam, ò Mavortia pubes,
Moribus aſſuerit præſtantibus; attamen ipſi

Ver-

Verſibus illecti civili accommoda Vitæ
Dulcius hinc ſument poſthac documenta Quirites.
Voſque ò præcipue, placidiſſima Turba, puellæ,
Tybridis ò cultæ proles pulcherrima Nymphæ,
Veſtrum opus in populos has leges ſpargere veſtros,
Et pulchras vobis partiri ex ordine curas,
Ut ſenſim gentes per vos vulgentur in omnes.
Hæc verbis præſit, veſtes paret illa decentes,
Inſtruat hæc menſas, inſtructis altera menſis
Præſideat, genti proprios notet altera ritus;
Quæque ſibi impoſitum exercebit ſedula munus.
  Dixerat hæc Anio: breviter cui talia Tybris.
Vane quid affectas? ſimulas quæ munera? noſtrum eſt
Quod jactas nunc ipſe tuum; vivebat in Urbe
Nuper, quem celebras: meus eſt cum carmine Vates.
Sed Tu rumpe moras, dando & pro munere, raptum
Redde mihi Vatem; quin imo hæc nomine noſtro
Grimaldo mandata refer: Tyberina reviſat
Litora; nec longum noſtros defraudet amores.
  Hæc Tybris; nil contra Anio; ſed lumina torſit
Turbida, ſubmiſitque caput. Sic protinus ambo
Diverſum per iter; diverſis ſed mage curis
Diſceſſere; ſuas ventoſi ad Tyburis arces
Iſte redit; dominæ petit Ille palatia Romæ.

EPIGRAMMA.

Dulcis ubi Cucumis nuper proſtabat, & illum
  Altè clamabat Venditor eſſe gelu;
Hic modo Caſtaneę à Scurra venduntur eodem,
  Qui calidas illas altiùs eſſe monet.
Scilicet Æſtatem Autumnus jam trudit, & inter
  Se minimo diſtant tempore, bruma, calor.
Evenit hoc nobis; ętatem ſubmovet ætas;
  Quique viri nunc ſunt, hos facit hora Senes.

APO-

APOLOGETICA.

ECLOGA.

Acta in Arcadum nemore Parrhaſio ſuper Aventinum Anno 1717.

Myraus , Æmon .

Myr. QUo via te ? Arcadicas fortaſſe reviſere Sylvas?
Nos etiam Arcadiam , ſolitos quoniam Alpheſibœus
Indixit cœtus , & ad arma canenda vocavit ,
Pergimus , ò Æmon ; ſi non piget , ibimus unà .
Æm. Haud renuo , Myræe , viam ſermone levabis .
Sed qui Paſtores hodie , qui carmina dicant ?
Credo equidem plures , magni nam Cæſaris arma ,
Victoriſque Ducis Virtus , Fideique Triumphus
Acceptum præbent cantantibus argumentum .
Tu quoque , ni fallor , quoniam tibi lumina turgent ,
Parturies Te dignum aliquid , dignumque Theatro .
Myr. Num dubitas? cantabo iterum; cantare neceſſe eſt.
Quippe jubet cuſtos : cuſtodi colla jubenti
Subdimus ; Ille etenim qui temperat omnia nutu .
Rurſus nos ergo noſtri ſub Apollinis umbrâ
Aſpicies hodie , o Æmon , rurſuſque videbis
Pertæſos longo Socios ſermone morari ,
Et veſtras Latiis obtundere verſibus aures ,
Æm. Tu ſemper ? Tu ſolus eris ? quid ? verba latina
Ignorant fortaſſe alii ? tua carmina nobis
Certè equidem ſapiunt : fatuo ſed ſæpe palato
Res eadem , magno quamvis condita lepore ,
Diſplicet ; Eraſtum toties hœc Sylva canentem
Audiit ; Ottinium toties , totieſque Semitum :

Non

Non eſt Philacidæ , non eſt incognita nobis
Corſildi , aut magni doctiſſima Muſa Lyconis .
Nytilus & Muſis poſſet cantare ſecundis ;
Poſſet & Uranius , Cratinus , Ageſilus , Alcon .
Myr. Immò alios memini , Latiis luſiſſe camœnis :
Verum omnes ſua cauſa tenet : hi jura , forumque ,
Hi ſenium allegant , hi publica munia culpant .
Nil nobis valuere tamen cauſæque , preceſque .
Vox mea me perdit . Naturæ munera ſæpe
Sunt homini damnoſa : mihi vocem , & latera ampla
Provida conceſſit nimium Natura ; canendo
Hinc invitamur ; Noſtro quin fortè Theatro
Alterius (noſti) recitanda poemata ſi ſint ,
Protinus ad noſtram defertur pagina dextram .
Æm. Et memini : Vox iſta tamen , ſeù bella cruento
Concinat afflatu , facili ſeù mollis avena
Dulcibus in Sylvis Paſtorum dicat amores ;
Vox eadem , vox grande ſonat ; dum flere neceſſe eſt ,
Tympana pulſaſti : Capreas , pecudeſque memento .
Rivus aquæ , calamique leves , juncique paluſtres ,
Et teretem viridi fiſcellam texere ibiſco ,
Paſtori data cura ; canat Paſtoria Paſtor .
Verum hodie Sylvas per te majora canentes
Audierint cives , & pluſquam Conſule dignas .
Bella canenda tibi : certè lituoſque , tubaſque ,
Præliaque , armorumque ſonos imitabere cantu .
Myr. Materiem præbe , cantus quæ poſcat agreſtes ,
Protinus agreſtes reſonabit fiſtula cantus .
Nuper erat noſtris dicendus verſibus Armon ;
Mater erat noſtris celebranda Amyriſca camœnis .
Numquid oves , capreaſque mihi , dum talia tracto ,
Dicere par fuerat , tenueſque referre myricas ?
Nunc ego Cæſareos jubeor cantare Triumphos ,
Europæque , Aſiæque atrox deſcribere bellum ;

Forſi-

Forſitan expectes, ut ficto nomine noſtris
Hinc aries, illinc ponatur verſibus hircus,
Qui flexo inter ſe committant prælia cornu?
Poſſem equidem, ſi ignota forent vel Cæſaris arma,
Vel Thracum feritas (feritas heù barbara Thracum)
Nota utinam foret illa minus! nec noſtra ſecarent
Arva truces Arabes, Patriis nec finibus actos
Diverſa exilia, & diverſas quærere terras
Arcadiæ ſemper Fortuna adverſa juberet.
Quod ſi Parrhaſiæ mores perpendere Sylvæ,
Et genus Arcadicum, noſtramque ab origine ſortem,
Lance velis juſtâ; certè tam ruſtica turba
Non ſumus, ingenioque rudi, craſsâque Minervâ,
Ut Paſtorales impunè excedere fines,
Civica nec liceat quandoque evolvere facta.
Nequidquam ſtellis genitos, lunâque juvaret
Eſſe prius, Puerumque Jovem, Dominumque Lycæi,
Numina totque olim noſtris reptaſſe ſub antris,
Si tantum calamos, armentaque dicere noſtrum eſt.
Sed quid commemoro vetera hæc? modo cerne quot inter
Jura Senatores dicant, cauſaſque perorent
Arcades, & forti tractent quoque prælia dextrâ;
Imperioque regant populos, terraſque, Polumque
Concilient nobis, ſuperumque arcana recludant.
Æm. Magna canas, dũ magna placent: Haud te moror; at Tu
Quod tibi dicendum (longa eſt via) perlege carmen
Myr. Et juvat: incipiam, Paſtor, majoraque noſtro
Utrum argumento, ſis Judex ipſe, canamus.
Sentio. Jam rapior; ſeſe in præcordia Phœbus
Inſpirat, dubiique pedes nutare videntur,
Implerique nova veterem caligine mentem,
Ut ſoli pateam Phœbo; nunc vera monenti
Credite Paſtores, veluti Cyrræus ab antro
Hæc caneret, venturaque fata doceret Apollo.

Occi-

Occiduo jam grande aliquid meditatur ab Orbe
Cæſar in Otthomanum: video conſurgere contra
Maſſagetaſque, Getaſque, ſagittiferoſque Gelonos;
Et ſeptem gemini populos decreſcere Nili.
Nequidquam miſeri. Non dum tot cæſa Virorum
Millia? tot veſtro ſpumantes ſanguine Campi?
Nec non Pannonici duo propugnacula belli
Capta monent? fauſtis en jam fortiſſimus Heros
Auſpiciis ſuper Hungaricos movet agmina Campos
Eugenius Victor; Sociæ comitantur euntem
Relligio, Virtus, Fortunaque Cæſaris. Ibis,
Ibis io Dux clare.
Æm. Satis, clamoſe Poeta;
Jam ſatis. Hæc hodie recitabis? Carmina nobis
Dura quidem; verbis conſtant nimis illa ſonoris.
Myr. Nempe tibi quod ſerpit humi, quod ſimplice cultu
Enitet, hoc placeat carmen. Non improbo; Verum
Non omnes ita conveniunt. Ego Judice tota
Arcadia, damnanda, rear, laudandave noſtra
Carmina, cum pleno cantabimus illa Theatro.

IN LABIENUM.

EPIGRAMMA.

Quiſque ſuos patimur manes; hunc cæca libido;
Illum angit fœdæ crimen avaritiæ;
Plures ambitio, plures tenet improba ventris
Ingluvies; Atrox pluribus ira nocet;
Invidiæ ſtimulis eſt qui crucietur amaris;
Eſt qui deſidiam nutriat uſque ſuam.
Tu ne quo tantum vitio, Labiene noteris;
Traducis vitam per ſcelus omne tuam.

AD

DE FRANCISCO VALESIO, ET CALLISTRATO.

EPIGRAMMA.

Quid non Valeſius? quid ſcis Calliſtrate? ſemper
Tu tamen heu loqueris, ſemper & Ille tacet.
Sive tua hoc pariat levitas, prudentia ſive
Illius, in noſtrum cedit utrumque malum.

AD LYRENUM P. A:

HENDECHASYLLABI.

Dum Tu carminibus canens Latinis,
Vires, & Veneres, origineſque
Hetruſcæ memoras, Lyrene, Linguæ;
Hetruſcam celebres licet Poeſim:
Nil cum carminibus tuis venuſtis,
Nil ipſi, mihi crede, Amice, prodes.
Quin nè illi noceas cavè Poeſi:
Nam dum carminibus facis venuſtis,
Ut Linguæ pateat decus Latinæ:
Muſis poſthabitis nitentis Arni,
Omnes ut Latiam tuo ſequantur
Exemplo tacitus mones Poëſim.

AD NICOLAUM FORTIGUERRA

Inter Arcades

NIDALMUM TISÆUM.

EPIGRAMMA.

Thyrſidis ah fatum, queis carmina flevimus olim,
Fortiguerra, eadem nunc Tibi miſſa vides.
Illa nec audebam manibus committere Vatum,
Illa nec audebam credere digna tuis.

Legiſti poſtquam; poſtquam Tu lecta probaſti,
Digna patrocinio credimus, eſſe tuo.
Accipe: Venturos jam noſtra elegia Poetas
Provocat, & nulla a tempore damna timet.
Judicio hoc audet tanti ſecura Poetæ;
Hoc titulis tanti nobilitata Viri.

IN FUNERE JO: BAPTISTÆ ZAPPI

Inter Arcadas

THYRSIDIS LEUCASII

ELEGIA,

Habita ad Arcadum Cœtum paucos ab ejus obitu dies.
Anno **1719.**

JAM ſatis eſt luſum: non hoc vult ludicra Tempus;
Triſtia ſunt triſti verba canenda die.
Paſtores veſtro fas eſt ignoſcere Vati,
Si nec feſtivè, ſi nec ut ante canit.
Triſtia non ſemper nos odimus; ipſaque damna
Neſcio quid blandum dum memorantur habent.
Interdum lacrymæ lacrymis explentur ab ipſis;
Interdum curas mulcet & ipſe dolor.
Jam notum quæ cauſa meis ſit queſtibus, & jam
Quod flendum veſtra nomen in aure ſonat.
Ille hujus, qui nuper erat pars inclyta cœtus,
Hujus deliciæ qui modo Collis erat;
Thyrſis, amor Phœbi, Sylvarum gloria Thyrſis,
Thyrſis Paſtorum, Pieridumque decus,
Occidit! heu quali triſtamur funere! Tuque oh
Arcadia infelix quo viduata viro es!

Infelix!

Infelix ! dum tot , dum talia pignora deſſes ;
  Nota nimis propriis incipis eſſe malis .
Nec tantum ut Mater ploras mæſtiſſima ; nunc Te
  Amiſſo gnatam ceu Patre flere decet .
Hunc inter primos dudum oſtentare ſolebas ,
  Qui Te iterum nobis inſtituere Patres .
Debetur Patribus per Nos reverentia primis ;
  Exemplis illi Nos docuere ſuis .
Quod ſumus : interdum quod carmina noſtra leguntur,
  Arcades , illorum cura , laborque fuit .
Nunc quantum exemplar , quæ gaudia rapta dolemus !
  Quot bona in hoc uno non reditura viro !
Fas Oratorem , fas eſt lugere Poetam ;
  Nomine , ſcitis enim , dignus utroque fuit .
Qui geſtus , quæ vox , quæ gratia frontis , & oris !
  Quis lepor in verbis dum loqueretur , erat !
Nunc quoque dum recito mihi Thyrſis adeſſe videtur ;
  Fallor ? an herboſo ſedit & ipſe thoro ?
Fallor ? adeſt ; plauſus præeunt , plauſuſque ſequuntur ;
  Dulcia num ne audis carmina ? Thyrſis adeſt .
Heu miſero pietas cur ſic illudis amori ?
  An ne illum viſum eſt interiiſſe parum ?
Æger erat ; flebant illo ægrotante Camœnæ ;
  Flebat inornatis Delius ipſe comis .
Paſtores , Nymphaſque dolor torquebat amarus ;
  Paſcebat mœſtas Pan quoque mœſtus oves .
Sed tot vota hominum , ipſorum tot vota Deorum
  Flectere crudeles nil valuere Deas .
Heu dolor , heu pietas ! Tu nos melioribus annis
  Deſeris ? ah fletus dicere plura vetat .
Quiſquis ades noſtris modo fletibus adjice fletus ;
  Ferreus es certè qui modo flere negas .
At quid inutilibus nemus hoc agitare querelis ?
  Quin Cineri juſtas reddimus inferias ?

Stat vetus innuptæ prope Palladis antrâ Theatrum ;
  Fons ibi non unus , denſaque ſylva viret .
Manibus hunc ſacrum noſtri ſtatuere Parentes
  Eſſe locum ; inſignes hic poſuere Viros .
Rarus honor , ſolis concedenduſque Poetis ;
  Ut rari Vates, ſic quoque rarus honor .
Nam ſi de numero ſelegeris Arcadas omni ,
  Quæ canat in Sylvis plurima turba ſumus ;
Sed quorum æternam mereantur nomina vitam ,
  Vix decimum ſupra primus , & alter erunt .
Hic celebres multâ ſcribemus in arbore verſus ,
  Quos cythara Thyrſis , quos cecinitque tubâ .
Atque utinam poſſemus iiſdem incidere truncis
  Carmina , quæ ſubito ducta furore dedit !
Mox inter ſcriptas fabricabitur urna Cupreſſus
  Ruſtica ; ſed veri quæ ſit amoris opus .
Sculptilis in medio Cytharam confringat Apollo ,
  Mœſtaque circumſtet Turba Heliconiadum .
Thyrſidis à læva ſtet dulcis cura Poeſis,
  Cura ſtet à dextra non minor æqua Themis .
Utque magis pateant ; ſacrâ caput illa coronâ :
  Lancibus , & gladio prægravet iſta manus .
Extinctis ſupra facibus , poſitiſque ſagittis ,
  Cæcus , & illacrymans conſpiciatur amor.
Nec minus & fratres adſint , Riſuſque , Jocuſque ,
  Quos tamen agnoſci vix dolor ipſe ſinat .
Poſt ubi funereis conſperſam floribus urnam
  Lacte Sacerdotes , proluerintque mero ;
Ante illam agreſtem de more ſacrabimus aram :
  Quiſquis adeſt faveat ; nos nova pompa vocat .
Parte hac Uranius , parte hac adſtabit Alexis ,
  Dignus amicitiâ flebit uterque pari .
Illis cæptus amor pueris : mox tempore longo
  Crevit , & extincto in Thyrſide vivit adhuc .

Stabit

Stabit & Aglauro, lectæque ex ordine Nymphæ,
Quæ molli intexent florea ſerta manu.
Ipſa chori princeps, tanto viduata Marito
Carmina cum lacrymis, cum prece thura dabit.
Nec deerit Cuſtos lauro redimitus, & illum
Flebilis hinc cinget, cinget & inde chorus.
Dumque alii tibi dona ferent, dumque oſſa piabunt
Dicemus laudes, O bone Thyrſi, tuas.
Et prius in ſterili naſcentur littore piſces,
Nutriet Arcadicas æquoris unda feras:
Ante diem tenebræ, tenebras adducet Apollo,
Flammaque cum gelidâ fœdus inibit aquâ:
Immemores laudum quam ſimus, Thyrſi, tuarum,
Excidat ex iſto quam tua fama loco.
Donec producet ſacros hæc ſylva Poetas;
Grata Juventuti carmina donec erunt;
Semper apud Vates meritò celebrabere: ſemper
Addiſcet numeros læta juventa tuos.
Sic Tibi ſolemnes quoties ſtatuemus honores,
Dicemus laudes, O bone Thyrſi, tuas:
Turba frequens Thyrſin. Thyrſin nemus omne ſonabit:
Thyrſin clamabunt littora, Thyrſin aquæ.
Poſtremùm tumulo mos eſt ſuperaddere carmen;
Plura quod includat, ſed breve carmen erit.
Hic jacet immiti conſumtus funere Thyrſis.
Quid ſit ab hoc uno noveris Arcadia.

AD SEMIRUM ACIDONIUM P. A.
EPIGRAMMA.

SCribere poſt duplex ceſſas Epigramma: ſeveris
Scribendo ſtudiis, ne noceamus, ais.
Falleris. Interdum ſtudia intermittere fas eſt;
Illorum levius mens ità ſentit onus.

 Adde

Adde : licet lepido videaris ludere verſû ;
  Carmina , queis ludis , quid doceamur , habent .
Sic mihi pro ſtudiis fiunt ſatis illa ſeveris ;
  Dumque taces , mihi tunc , docte Semire , noces .

E C L O G A.

Acta in Arcadum Nemore Parrhaſio ſuper Aventinum Anno 1719.

Dorindus Paſtor , Syralgus Piſcator .

Dor. HEus Tu Piſcator ! Piſcator : num mare ſurdum
Murmure te fecit ? par eſt attollere vocem ;
Forſitan hic dormit , ſive eſt Deus æquoris : heus Tu .
  Syr. Heus Tu qui vigilas; vigiles, vigileſque precamur
Æternum ; Deus ò Telluris, qui maris undas
Vincis, & horriſonâ propulſas littora voce .
  Dor. O bone Piſcator parce ò clamoribus; is nam
Paſtorum mos eſt ; ita nos clamare ſolemus
Luſtra per & Sylvas , atque arva ingentia , tum cum
Ad ſua palantes revocamus ovilia Tauros .
  Syr. Pulchrè : nunc Taurum te compellare putabas ?
  Dor. Non equidem . Verum quia ſunt tibi littora nota,
Dic ubi ſe pelagi tutiſſima colligit unda ?
Namque lues noſtris pertentat dira juvencis
Corpora , quæ nitro toties , & ſulphure vivo
Incaſſum lavi ; ſpes non erat amplius ulla ;
Dixit at Eurimedon , pete ſalſas æquoris undas ,
Scilicet æquoreis ter ſunt mergenda ſub undis ;
Dixit ; & afflictos en ad æquora ſalſa juvencos
Adduxi ; Pontum quippe inſcius ipſe putabam
Alphæo ſimilem noſtro ; ſed flumina Pontus
Proh quantum ſuperat ! vix nos aſpeximus eheu

Hæ G-

Hæſimus ; horret adhuc trepidum formidine pectus ,
Forſitan & noſtro tu pallida ſigna timoris
Aſpicis in vultu ; ſed jam qua parte juvenci
Tutiùs in pelagus poſſint deſcendere , monſtra.
Syr. Hic locus , hic ſeſe tutiſſima colligit unda .
Sed prius , ò Dorinde , tuum cognoſce Syralgum .
Dor. Tu modo Piſcator , tu maximus Ille Syralgus ,
Qui reliquos dulci Paſtores vincere cantu ,
Et poteras celeri cervos prævertere curſu ?
Tu modo Piſcator , tu maximus Ille Syralgus ?
Verane Te facies ? an ludor imagine veri ?
Vivis adhuc ? . . . .
Syr. Vivo , ni fallor : lingua locuta eſt ,
Auribus accipio voces , oculiſque viciſſim
Aſpicimur ; prompti dentes , certumque palatum ;
Singula , quæ pueri quondam percepimus eſſe
Præſentis nobis ſignum indubitabile vitæ .
Dor. Semper idem tua verba ſonant, ſemperque jocoſis
Seria commiſces ; ſed quæ fortuna quietum
Movit ; ad has artes vel quis te caſus adegit ?
Nam bene ſi memini ſi mens nec fallitur annis ,
Frugiferas decies collegit Meſſor ariſtas ,
Compreſſit toties maturas vinitor uvas ,
Ex quo abes à nobis , & Te Nonacria Tellus
Deflet adhuc ; quamvis extinctum fleverit olim ;
Nam licet abſenti ; ſummas Cineri tamen ipſi
Fecimus Inferias , tacitamque vocavimus umbram .
Syr. Quæ, Dorinde, tuos nunc angit iniqua juvencos
Atra lues , hæc me jam primum ad littus adegit ;
Namque Ego , nec pingues , Grex ò ditiſſime , ſeptem
Servabam capras , totidem mors dira peremit .
Aſt ego defunctis capris cum mœſtus , inopſque
Nil quo vita mihi ſuſtentaretur haberem ,
Arcadiam , ſacrumque nemus , campoſque relinquens

Littora Piſcator mox evaſurus adivi.
Atque hic non inopem, nec cœli munere triſtem
Propter aquas duco vitam; nam quidquid ubique
Piſcator, ſeu Paſtor agas, Deus omnibus idem eſt.
Sollicitat tamen una meam quandoque quietem
Cura; inter naſſas, atque inter retia, & hamos.
Dum veteres artes, vetereſque recordor Amicos;
Imo age dic nobis quæſo; quos Inclyta cantus
Arcadiæ pubes; aut quas exerceat artes;
Num valeant chari, quos ultrò affarer amici?
Num valeat noſter ſuprema potentia Cuſtos?
Dor. Paſtorum plerique valent, plerique canendo
Sæpe ſacras reſonare docent ſua carmina ſylvas.
Præcipua interea, gravioraque pondera tractat
Sedulus, inque dies Cuſtos dilatat ubique
Arcadici fines Regni, expertoſque colonos
Delegat, qui jura ferant, qui mœnia condant,
Quique peregrinis imponant nomina Terris,
Ut ſenſim noſtros gens quælibet induat uſus,
Atque ita Parrhaſiæ ſurgat nova gloria Sylvæ.
Nec tantum Ethiopes, Sereſque, Indique, ſed ipſa
Audiet Arcadicas Tellus incognita leges.
Syr. Credo equidem, ſed perge...
Dor. Satis non iſta videntur?
Quin potius tua dum expectant ad pabula piſces
Retia, dum noſtri merguntur in æquore Tauri,
Non juvet alternis inter nos ludere Muſis?
Syr. Incipe, Tuque prius Paſtor paſtoria prome
Carmina; littoreâ nos deinde ſequemur avenâ.
Dor. Juppiter immenſi Deus ætheris, & bona Juno,
Numina, quæ noſtris humorem inducitis agris,
Aera purgate, atque herbas, extinctaque fœtus
Suppleat, amiſſamque habeant armenta ſalutem.
Syr. Neptune undiſoni Deus æquoris, & vaga Doris,
Si

Si vos rite precamur, aquas excite, profundo,
Ut neque ſuſtineant immenſam retia prædam,
Et poſſint nudo ſaltare in littore piſces.
Dor. Phœbe potens noſtris morbos expelle juvencis.
Hoc precor: adverſâ tamen ſi ſorte peribunt;
Sunt mihi, namque greges nequeam numerare minores;
Sunt mihi centeni reboant qui in valle juvenci.
Syr. Pauca licet Fortuna mihi donarit iniqua;
Eſt tamen ad verſus mens inclinata canendos.
Nobile cœleſtûm donum hoc incommoda quæque
Compenſat; nobis ſac deſit cœna, canemus.
Dor. Sylvarum mihi ſæpe Deæ, Faunique ſequaces
Adſunt, & noſtro capiuntur carmine, verſus
Ipſe meos catâ dum mulcet arundine ſylvas,
Pan Deus Arcadiæ nedum laudare recuſat.
Syr. Sæpe mihi Triton raucâ dum littora conchâ
Perſonat, æquoreaſque trahit dulcedine Nymphas,
Adſtitit; ille meos nonnumquam audivit amores,
Audivit quæſtus, & carmina noſtra probavit.
Dor. Quot poma Autumnus, quot ſpicas parturit Æſtas,
Quot Ver delicias, quot Bruma noviſſima glandes. . .
Syr. St' Dorinde ſile; st' aſpice concutiuntur,
Inſolitoque gemunt curvati pondere funes.
Adde manus Dorinde tuas, ne retia pondus
Frangat; Io Dorinde ingens ad pabula Tynnus
Venit; Io piſces ſecum venere minores.
Quam bene! munus in Arcadiam hoc; ſed nomine noſtrô
Ipſe feres, propriumque dicaveris Alpheſibœo,
Ut poſſit de more ſuos recreare ſodales.
Interea prædam, quæ nobis reſtat, edamus.
Cras repetes patriam, dulceſque videbis amicos;
Et poſtquam vivum narraveris eſſe Syralgum,
Debita Cuſtodis per me dabis oſcula dextræ.

DE

DE STATUA PALLADIS ROMÆ

In Ædibus PHILIPPI ACCIAJOLI Protonotarii, & Cam. Apoſt. Clerici.

Alluditur ad celebre Athenarum, imo totius fere Græciæ Dominium, quod diù Acciajolorum poſſedit Familia.

ACciajolæa merito ſtat Pallas in æde.
Præſes Athenarum, ſcis puto, Pallas erat.

INSCRIPTIO FONTIS FLORENTIÆ.

QUi bibis hos latices, COSMI quoque munus adora.
Hoc & Nympha loci, dum cadit unda, facit.

ELEGIA.

Præfixa Coronæ Poeticæ, quam MARCO ANTONIO ZONDADARIO

Magno Hieroſolymitani Ordinis Magiſtro nuper electo Arcades obtulerunt. Anno 1720.

NYmpha Ego Parrhaſiæ Præſes notiſſima Sylvæ,
Primaquæ ſilveſtres inter habenda Deas,
Collis Aventini liquens faſtigia, Princeps,
Tybridis ex undis huc tibi miſſa feror.
Arcades, innocuis gens acceptiſſima Muſis,
Miſerunt, ſtudiis gens mihi cara ſuis.
Perge, mihi Arcadiæ, qui temperat omnia, Cuſtos,
Perge, ait, eſt Melitæ Terra petenda tibi:

Inve-

Invenies ſceptro Magnum, Magnumque triumphis,
Qui major tamen eſt Relligione, virum;
Auguſto invenies Heroum adſtante Senatu,
Tractantem forti tradita ſceptra manu.
Huic Tu, quæ noſtræ, dum tanto eſt auctus honore
Gaudia dent ſilvæ, votaque noſtra refer;
Arcadici adjicies non vilia munera Cœtus
Carmina; ſunt ipſis carmina digna Deis.
Neve locum timeas, majeſtatemque ſedentis;
Forſitan adventu geſtiet Ille tuo:
Ille dedit noſtris olim ſua nomina Sylvis;
Ille rudes calamos, & leve carmen amat.
Ergo age; Te Boreas, te ſpes comitetur euntem;
Cum redis, illius tuta favore redi.
Finierat Cuſtos, nutuque, & murmure læto
Quiſque meum Paſtor laudat, & urget iter.
Jamque abiens geniumque loci, Nymphaſque Sorores
Affabar: propior reddidit unda vale.
Senſit, Romuleas dum præterlabitur Arces
Tybris, & è medio ſubſtulit amne caput.
Mox ait, accelerà; quem Tu modo Nympha videbis;
Vidimus; in noſtro vir fuit Ille ſinu.
Noſcere conceſſum eſt quæ ſit prudentia mentis,
Ingeniumque ſagax, eloquiumque potens.
Nam quantum durâ Martis valet ille paleſtrâ,
Tantum facundâ Palladis arte valet.
Gratia ſed ſuperis, ſolio dum ſplendet ab alto,
Jam retulit factis præmia digna ſuis.
Cura mihi Fratrum ſed compenſare labores;
Inclyta quis Fratrum geſta referre queat?
Legibus ille ſacris patrium moderatur ovile:
Iſte ſacras oſtro cingit in Urbe comas.
Magnus uterque animis, & adepto magnus honore;
Sed manet & majus forſan utrumque decus.

Non-

Nondum ea : ſe præceps in ſe occultavit , aquaſque
Impulit ; impulſis pergere cogor aquis .
Vix mare pertingo , vix duplicis oſtia Tybris
Deſero , vox aures percutit ecce meas .
Vertor & Italiam video , quæ voce Senili
Turritum quaſſans , laurigerumque caput ,
Me vocat : hanc mixtus tenet inter gaudia fletus ,
Sed lacrymæ in vultu cauſa decoris erant .
Vivit adhuc , vivit Tyrrhenæ gloria Gentis ,
Gloria nec penitus noſtra peribit , ait .
Eſt & adhuc , qui me priſcis virtutibus ornet ;
Quique meum Terris nomen , ut ante , ferat .
O tibi me Comitem poſſem , bona Nympha , per undas
Jungere : ſed quando hoc ferrea fata negant ,
Nomine Tu noſtro invictam complectere dextram :
Tu prior Italiæ nuncia Matris eris .
Italiam tandem pedibuſque , oculiſque reliqui ,
Auſa per immenſas æquoris ire vias .
Ecce mihi plures occurrunt undique Nymphæ.
Quò via , quæque viæ ſit mihi cauſa , rogant .
Mox dotes narrare tuas , & grandia facta ;
Mox interpoſitis te celebrare choris .
Illa mihi Scythico inſignes ex hoſte triumphos ,
Disjectaſque refert , enumeratque rates ,
Navibus hæc memorat te muniviſſe Triremes ,
Unde vigor claſſi crevit , & unde decus .
Altera privati notas tibi militis artes ,
Altera perfectum te canit eſſe Ducem .
Omne tuis , Princeps , reſonabat laudibus æquor ,
Reddebat laudes ora remota tuas .
Portubus his demum , Meliteſque allabor arenis ,
Veſtraque me forti ſuſcipit aula ſinu ;
Hic ſpectare juvat quas tu fundaveris arces ,
Arcibus & veteres æquiparare novis .

Hic

Hic audíre juvat quæ longè audire ſolebam,
Pluraque quæ de Te, veraque fama canit.
Nam canit, ut ſedem hanc zelo tuearis, & armis;
Et quâ juſtitiâ, quâ pietate tegas.
Sed licet ingentem, vincit præſentia famam:
Inferior meritis eſt nimis illa tuis.
Salve inter Magnos, Ductor fortiſſime, Reges,
Inter & Heroas connumerande ſacros.
Cum Duce Te Miles, Te Navita, Teque Senatus,
Advena Te, Princeps, Te quoque Civis amat.
Hos ſuper Arcadiæ ne dedigneris amores;
Nempe amat ut mater, ſis licet ipſe procul.
Excipe quos placuit per Me tibi mittere verſus,
Illius & certum pignus amoris habe.
Ne vero hos habitus, paſtoralemque decorem
Spreveris, hoc noſtrę eſt ſimplicitatis opus.
Sic Roma fovet, ſic Reges alloquor me; & jam
Neſcio quid grande hęc ruſtica veſtis habet.
Quod mihi ſi facilem Te nunc oſtenderis, olim
Noſtra tibi majus Sylva parabit opus.
Sic tibi captiva Solymę contingat in arce
Ponere victricis Candida Signa Crucis.
Sic ſe Threjicis valeat ſubducere ferro,
Jamque gemens redeat ſub tua ſigna Rhodos;
Majori tunc Nos inflabimus ore cicutas,
Noſtraque rauciſonas vincet avena tubas.
Carminibus textâ ſed jam Te cinge coronâ;
Virtutes in ſe continet iſta tuas.
Ergo tuis, Princeps, frontem virtutibus orna;
Tum ſerto ornari nobiliore potes?

AD

AD ALEXANDRUM FALCONERIUM

Almæ Urbis Gubernatorem, & Romanæ Rotæ Auditorem, poſtea S. R. E. Cardinalem pro recepta ſalute.

GRATULATIO.

Juſtitiæ quæ vis, reliquas quantum ordine vincat
Virtutes, quam cara homini, quam cara Tonanti,
Re certè patuit, Præſes juſtiſſime, nuper
Dum tua fatali ſtaret ſub forcipe vita.
Scilicet ægrotum cum Te vidiſſet, ab alto
Hæc tibi continuò virtus affulſit, amorem
Hæc populi in Te commovit, vimque intulit aſtris,
Et ſua cęleſtum mentes in vota coegit.
Languebas. Tecum viſa eſt langueſcere Roma;
Mirus amor! mœſtus cum civibus advena mœſtis
Errabat, mœſta mœſtus cum Plebe Senatus;
Quin etiam tanti motus pietate miniſtri
Ipſe Quirinali Princeps mœrebat in aula.
Omnibus in Templis aderat, ſupplexque, frequenſque
Turba tuam ſuperos exoratura ſalutem.
Turba tuos paritèr complebat ubique Penates,
Ingens quotidie numerus, Juveneſque, Seneſque,
Nobilibus vulgus permixtum: in te velut uno
Communiſque ſalus, & publica vita periret.
Et merito: quis enim videat, Te præſide, Romam,
Claraque Romulei non laudet Præſidis acta?
Quod tuti ſub luce Urbem, tutique vagemur
Nocte, quod in tuto ſit res, ſit vita bonorum,
Quod timeant peccare mali, quod crimina ceſſent;
Ordine procedant quod Bacchanalia: nobis
Quod placeant breviora magis, producta ſceleſto

Pau-

Paucorum quondam arbitrio ſpectacula : quodque
Intremus vulgo non irridente Theatra ;
Uni cuncta tibi debemus ; maxime ſalve
Juſtitiæ aſſertor, delictorumque flagellum.
Gratia ſed ſuperis. Poſcenti es redditus Urbi,
Redditus es nobis; vicit tua denique virtus,
Vicit amor, vicere tuæ ſuſpiria Romæ.
Roma, viden ? quam mœſta prius tam nunc Tibi læta
Applaudit, meritoſque diù feſtinat honores.
Perge igitur Sanctis tutari legibus Urbem,
Atque inconcuſſa culpas avertere dextra,
Perge : tuas Vates manſuro carmine laudes
Dicemus, nomenque tuum ſuper aſtra feremus.
Ante alios viridi præcinctus tempora lauro
LAURENTINUS erit. Summo hunc in vertice Pindi,
Virtutum plaudente choro, Phœboque favente,
Artibus egregiis informavere Camœnæ;
Invidiæ mox Tu jaculis, & fortis iniquæ
Ictibus expoſitum virtute tueris avitâ,
Ingentemque Virum, propriam deducis in aulam;
Quod Tibi Pieridum, Vatumque inſpirat amorem,
Quodque tuæ fuerit non ultima portio laudis.

DE ADVENTU ROMAM

THOMÆ PHILIPPI S.R.E. Cardinalis ab ALSATIA, Archiepiſcopi Mechlinienſis &c.

Inter Arcadas Acclamatos Cariſti.

CARMEN.

DEbita neu rapiat Virtuti præmia Tempus:
Regali Alſacidum veniens ab origine Princeps;
Quod populos in pace regas, quod ſæpè rebelles,

Aut terrore abigas, aut ſacra ad ſigna reducas:
Quod meritis tantùm faveas: Quod crimina plectas:
Quod foveas Artes: foveas quod carmina: quodque
Invictus, docilisque ſimùl Templumque, Fidemque,
Ingenio, exemplo, & ſanctis dum moribus ornas,
Doctrinæ tueatis inexpugnabilis armis:
Europæ extremis quod per Te deniquè in oris
Relligio circum niteat puriſſima; quodque
Rideat infernas, Te Præſide, Belgica vires:
Purpurea ſplendens in veſte, & honoribus ingens,
Ingentes olim fortaſſe aucturus honores
Ingrederis ſanctæ quando advena mœnia Romæ,
Arcadiæ Tibi turba olim haud inviſa Sorores
Non viſum vulgò, ſed onuſtum hinc indè trophæis
Ecce triumphalem *Muſæ Tibi* ponimus Arcum.

A D

INNOCENTIUM XIII. PONT. O. M.

NVPER ELECTVM.

Inter Arcades ARETALGUM ARGIRÆUM.

Cum in Arcadum Cœtu recurrente Olympiadis initio Ludi in ejus honorem agerentur, & de more à Paſtoribus diverſi generis Coronæ Optimo Principi offerrentur.

ELEGIA.

Arcades hæc circum texebant Prata corollas,
Si quæ forte novo Principe digna foret.
Sertum ego texebam variis è floribus, ecce
Pierides oculos ante ſtetere meos.

Proy.

Projice, dixerunt, collectos projice flores;
  Atque interceptum deſere Paſtor opus.
Nos ſequere, & majora animo jam concipe; ſerta
  Nos dabimus ſertis nobiliora tuis.
Parueram: Muſæque omnes ſua ſigna ſequutum,
  Illarum in medio me ſtatuere choro.
Aurea Melpomene dat ſerta; ut ſcilicet aurum
  Labe caret, Princeps ſic quoque labe caret.
Porrigit ignotos Erato pulcherrima flores;
  Sub quovis virtus ſed ſua flore latet.
Terpſichore viridis frondes decerpſit olivæ;
  Fertilis hæc arbos omina pacis habet.
Tranſtulit occiduo plumas ex orbe Thalia;
  Communi applaudit ſic America Patri.
Protulit Euterpe detracta corallia Ponto;
  Eſt bene; ſic illi ſerviet unda Maris.
Præbuit ereptas Indis Poliimnia gemmas;
  Illi nempe ſuas India mittit opes.
Serta dedit Clio quernâ ſilveſtria fronde;
  Romuleum civem civica ſerta decent.
Detulit Uranie quam formant aſtra coronàm;
  Aſtra decent, aſtris qui dare jura poteſt.
Ultima Calliope laurum contexuit; atque hæc
  Quam propria eſt votis viſa corona meis!
Finierant Muſæ: donis ego lætus abibam,
  Alphæum repetens, Parrhaſiumque nemus;
Vincam Ego, dicebam, reliquorum munera Vatum,
  Et numero, ac rebus grandia ſerta dabo.
Interea Cuſtos Paſtores advocat omnes;
  Sertum quiſque ſuum geſtat, & Ille præit.
Ipſe ſequor; mecum ſerta omnia ferre putabam;
  Sed vacuas ſertis novimus eſſe manus.
Protinus ingenti revocavi voce camœnas:
  Ad vocem ſeſe proripuere meam.

Quæſivi flores: flores collegerat alter;
Nilque ingrata mihi ſuppeditavit humus.
Quid faciam? ſequar ipſe tamen, ſequar, Optime Princeps;
Nec timeam vultus pauper adire tuos.
Florea, Caſtalides ſinerent, tibi ſerta dediſſem:
Serta mihi deſunt florea? ſume animum.
Scilicet hoc miſeris contingit ſæpe Poetis.
Fingunt, & ſperant plurima; ſed quid habent?

IN PRISCUM.

ADONII.

Quid tibi vano
Plaudis honore?
Quid mihi ſemper
Grande tuorum
Objicis amens
Nomen avorum?
Parce vetuſtæ
Stemmata gentis;
Non tua parce
Geſta referre.
Si genus olim:
Nobilitatis,
Si benè veræ
Quæritur ordo;
Crede, videbis,
Quod tibi falſo
Priſce ſuperbis.
Scilicet omnes
Nos ab eodem
Surgimus ortu;
Scilicet omnes
Nos ab eodem
Fonte venimus,
Quique tenaci
Findit avaras
Vomere glebas;
Quique per udos
Ducit agros ar-
Menta pecuſque;
Quin luteis, qui
Nudus, inopſque
Remigat undis;
Lance ſevera
Pendere ſi vis,
Nilve, parumve,
Invenies te
Priſce minores.
Unica Cœlo
Afferit ortos;
Nobilitas eſt
Unica virtus;
Degenereſque
Unica luxus
Inter, & inter
Crimina reddit
Vita peracta.

AD

AD INNOCENTIUM XIII. PONT.MAX.

Re Frumentaria reſtituta Anno 1721.

ELEGIA.

PRincipis in laudem verſus de more parabam,
  Nutibus inſiſtens Alpheſibœe, tuis.
Jamque tubam conatus eram divellere lauro,
  Ingentique graves voce referre ſonos.
Ecce mihi agreſtis venit ſub imagine Nymphæ,
  Nulla gerens capiti ſpicea ſerta Ceres.
Illa quidem primo deterſit lumina fletu,
  Pulcrior & ſolito conſpicienda fuit.
Mox ait, o Paſtor, laurumque, tubamque requiris?
  Falleris; ad veſtras ſpectat avena manus.
Heroum decet, & Vatum ſacra tempora laurus:
  Tempora Paſtorum myrtea ſerta decent.
Adde: quod inculto Paſtoris cinctus amictu
  Aptior ad laudes Principis eſſe potes.
Principis immortale ſonat jam nomen in arvis
  Arvaque materiem, qua celebretur, habent.
Ille etenim Latios ultro miſeratus Agreſtes
  Hinc procul inſanam cogit abire famem.
Per Te, ſumme Pater, veterum tua Roma malorum
  Immemor, afflictum tollit ad aſtra caput.
Tempus erit poſitis iterum quo cingar ariſtis,
  Ereptuſque agris reſtituatur honos.
Gaudeat omnis ager; miſeri gaudete coloni:
  Qui campos, qui vos, veſtraque curet, adeſt.
Tellurem, quid ſtatis adhuc? proſcindite aratris,
  Ponite deſuetos ſub juga prima boves.
Ipſa adero, veſtroque adſpirans læta labori,
  Virtutem ſulco, ſeminibuſque dabo.

Cernitis, ut plenis exultent frugibus agri,
Augeat & veſtras area dives opes?
Tantorum certè eſt Aretalgus origo bonorum.
Paſtores tanto digna rogate Viro.
Illius oh verax accreſcat Juppiter annos!
Illius & longum Pax regat imperium.
Deſiit Alma Ceres, tenueſque receſſit in auras:
Principis at nomen dum fugit illa, ſonat.
Oh mihi ſi ſuperum pietas donaſſet agellum,
Quem gemino poſſem ſollicitare bove!
Riderem nunc vulgus iners, & ſpicula ſortis,
Meque magis felix nullus in orbe foret:
Sed mihi ſi Tauri, durum ſi deſit aratrum,
Quique coli poſſit, ſi mihi deſit ager;
Saltem inter Nymphas liceat decerpere frugem:
Quæ de collectâ meſſe ſuperſtes erit.
Et quoties, parvæ non ultima portio cœnæ,
Perpetuuſque cibus, Panis edendus erit,
Summe Pater, dicam (ſic Dij tibi talia reddant)
Munere ſtat nobis, vita, ſaluſque tuo.

JASPIS.

EX ITALICO CHIABRERÆ.

FOrtè ſub auroram, quò tempore Cypridis aſtro
Mollior in terris animos exponit Aprilis,
Bellaturus amor ſuâ protulit arma pharetrâ;
Singulaque incautus partes dum verſat in omnes,
Telorumque acies digitis explorat eburnis,
Heu miſerum! leviter quamvis, digitum tamen unum
Perfodit, & roſeam deturpat ſanguine palmam,
Protinus inſolito tremefactus vulnere plorans

In-

Ingemuit, Phœbumque imploraturus abivit.
Nec mora: mobilibus ſic fertur in aere pennis,
Solis ut ad Sphæram properè devenerit, omnemque
Admirandam intus Phebi peragraverit aulam.
Aurea gemmatæ prægreſſus limina Portæ
Singula luſtravit: preſſis neque ſubſtitit alis,
Donec amica Dei propiùs datur ora tueri.
Currus adeſt; gemmiſque idem diſtinctus, & auro,
Chryſolitoque ardet, flammaſque imitante pyropo,
Electroque; Phlegon, Pyrois, Eous, & Æthon
Stant ſimul ambroſias efflantes naribus auras.
Jamque moras omnes, nativaque clauſtra peroſi
Interdum aereos facto velut impete, campos
Paſſibus incertis, ſolidoque adamante terebant.
Fulgida jam Phœbus ſtringebat fræna, paratus
Stellatum per iter terras circumdare, tum cum
Idalium aſpexit puerum, ſolitoque removit
Protinus officio dextram, tenuitque flagellum,
Tergora Cornipedum quod deſuper impendebat:
Exilienſque Deo venienti occurrit, & illum
Comibus excepit verbis, vultuque ſereno:
Hoſpes, ait, mihi care, quibus nunc advenis oris,
Quæ te cauſa movet noſtris ſuccedere regnis,
Aſpectu fraudata tuo quæ tempore longo
Deſeris? ò validi poſſeſſor, & arbiter arcus,
Quo tua victor ubique exerces jura; ſed iſte
Quid ſibi vult fletus? jucundæque unde venuſtas
Turbatur frontis? cui mox Cythereja proles,
(Sanguineumque effert digitum) haud ſine fletibus inquit.
Aſpice quam ſævo cruciemur vulnere, quantus
Exeat hinc ſanguis, rivos imitatus apertos.
Ipſe ego dum telorum acies hinc inde meorum
Pertracto, cupidâque manu quid quodque valeret
Exploro, digitum transfodi; vulnere ſanguis

 Nec

Nec deſiſtit adhuc decurrere multus acerbo.
Tu modo præclaræ Dominus qui diceris artis,
Unde ſalus ægris, quem non latet herba, ſit illa
Vallibus obductis, vel montibus abdita ſummis,
Quique tuâ ſcis ſuccum omnem dignoſcere mente,
Nunc adſis, aliquodque malis concede levamen.
Effice, ne ſanguis fluat amplius, effice, ut iſtud
Claudatur vulnus, quod me vetat eſſe beatum;
Nec memori poſthac tua munera mente recondet
Solus amor; ſed & ipſa bonum pulcherrima factum
Laudabit Genitrix ſæclis Tibi grata futuris.
Sic ait; inque genis nativum palluit oſtrum.
Atque olli ætheteæ moderator talia lucis.
Non equidem mala priſca novis iterare querelis,
Nec pœnas augere tuas mihi cura; ſed audi.
Tu modo, Tu luges, cœlum tu queſtibus imples,
Quod levitèr læſere tuam tua ſpicula pellem;
Sed fera robuſtà cum Tu jacularis ab arcu
Tela manu, largis alienaque pectora plagis
Percutis indignè; tunc riſibus ora reſolvis,
Improbe, nec gemitus, alienaque vulnera curas.
Funeſto ſic nempe die, cum tu mihi pulchram
Objiceres Daphnem, cumque Illius ipſe latentèr
Ex oculis validum, & quo nullum ardentius in me
Vibraſti telum, tua tunc mihi, dire Cupido,
Innotuit Pietas. Momento, noſcis, ab illo
Arſimus, & venas atrox circumdedit ignis,
Tectaque ſecretas urebat flamma medullas.
Cumque foret noſtræ ſpes nulla aliunde ſaluti
Junximus, heu, precibus lacrymas, Nymphæque gementes,
Cor nimis ah durum! fruſtra exoravimus; illa
Alipedum curſu fugiebat, noſtra relinquens
Irrita dum fugeret, rapidis ſuſpiria ventis.
Tunc ego ſuppliciter quoties tua nomina dixi,

O cru-

O crudelis Amor! quoties tua tela vocavi!
Cum tamen interea rideres ipſe, nec ulla
Conjiceres Nympham remorantia tela ſuperbam.
At bene ſi novi, tibi non levis inde fuiſſet
Gloria detrectantem animam deducere vinctam.
Sed taceo; nam vera licet, vindictâ videri
Poſſent quæcumque objicimus, vindictaque mentes
Dedecet ingenuas. Animos nunc ſume priores.
Pelle metum, lacrymiſque oculos deterge madentes.
Promptus Ego, quam poſcis opem, tibi ferre, tuiſque
Vulneribus certâ nunc, ocyùs arte medebor.
  Hæc ait, & dextrâ lævam amplexatus Amoris,
Perquè coloratas nubes rapidiſſimus inſtar
Fulguris ad montes ſecum aſportavit Eoos.
Illic ſubter inaceſſæ, præruptaque rupis
Antra ſilex fuerat, ſtudio cui ſemper inani
Ferro armata manus, damnumque, ictuſque pararet.
Indomitum lapidis genus eſt; viridi tamen extra
Ornatur facie, velut humida tempore veris
Frons viret, arguti quæ creverit amnis ad undas.
  Hunc ſuper afflictam Pueri ſine fine gementis
Applicuit dextram; qui venis ibat apertis,
Reſtitit extemplo ſanguis; dolor omnis abivit.
Hinc Amor exultans hylari nova gaudia fronte
Concipit, & pharetram impatiens, arcumque ſonantem
Tendere contrectat manibus, viſuſque repente
Aera per vacuum levibus diſcurrere pennis.
  Mox Juvenem Phœbo, Nymphâque Coronide Natum
Edocuit Phœbus tantæ miracula Gemmæ.
Perque illum patuere brevi mortalibus ægris.
Ipſa inter virides maculis hinc inde colores
Splendet Sanguineis, veteriſque inſignia facti
Servat adhuc, vulnuſque Eadem teſtatur Amoris,
Nomine quæ proprio nunc appellatur Jaſpis.

AD ANNIBALEM CARD. ALBANI
S. R. E. Camerarium
Cum Sacerdos Urbini primum ſacris operaretur Anno 1722.
E L E G I A.
Ex Italico Gaſparri.

INcola Carmeli, Gentem qui ſæpe rebellem
  Impulit ad Domini ſacra redire ſui,
Impia quem timuit ſibi fata horrenda canentem
  Jezabel, ultorum præda futura canum,
Qui tandem æthereas, meliora in Regna, per auras
  Tranſiit ignitis (res nova!) raptus equis,
Turbine ſtridenti dum circumſeptus abiret,
  Perque ſuum ad nubes progrederetur iter,
Quà ſuper induitur portentorumque miniſtram
  Diſcipulo veſtem deſerit Ille ſuo;
Ceſſit Eliſeo Veſtis, ceſſitque Magiſtri
  Spiritus; at duplex ſpiritus ille fuit:
Hinc cœlo dilectæ acies fregere Tyrannos;
  Corporis & Naaman reddita mundities;
Hinc & progeniem fato Sunamitis ademptam
  Vidit in amplexus læta redire ſuos.
Ad Cælum CLEMENS meritis aſcendit onuſtus,
  Vanaque Lœteæ ſomnia riſit aquæ.
Abſtulit illius partem Libitina minorem;
  Grande adeo crevit nomen ab interitu.
Crevit; & impatiens humilem cadit hoſpes ad Urnam,
  Et ditti lacrymans oſcula figit humo.
Crevit; & hæc ætas CLEMENTIS facta futuris
  Objicit: & quævis, ceu tuba, lingua ſonat.
Scilicet hoc pereat, quod Dii mortale crearunt:
  Virtuti æternos conſtituere dies.

Scimus

Scimus adhuc ſortem te flere, & funus acerbum,
O Sacer, ò tanto digne Nepos Patruo.
Parce tamen; CLEMENS in te nam vivere pergit,
Cumque tuo illius creſcit honore decus.
Regia ſic arbos, quæ jam ventoſque, feraſque
Spreverat, & potuit credier una nemus
Frondibus, & viridi tandem ſpoliatur honore;
Ad vitam in ramis ſed redit inde novam.
Ipſe coruſcanti ceu ſidus lumine fulges:
Æther, qui lumen traderet ille fuit.
Par Ille Oceano rerum, undarumque parenti;
Amnis Tu veluti Regius inde fluis.
Mons fulvi cuſtos, diſpenſatorque metalli
Ille erat; utque aurum Tu ſine labe micas.
Nempe ſuos mores in Te depinxit, & inde
Purpureo meritas cinxit honore comas.
Hinc eſt illius quod ſis virtutis alumnus,
Teque ſui hæredem nominis eſſe probes.
Hinc celer ad Templum pergis, cœlique miniſter
Grandia jam dictis fers Holocauſta ſacris.
Credidit heu Magnum, ſed fruſtra Urbs alta Metauri
Se civem in Patrio poſſe fovere ſinu;
Credidit heu fruſtra ſacra dulcibus oſcula verbis
Jnngere, & acceptum grata referre decus.
Nunc tua, nunc quando, Princeps, datur ora tueri;
Longis imponit quæſtibus illa modum.
Sic Genitrix nati, quæ luxit fata prioris,
Aſpectu curas mulcet in alterius.
Tu Natale ſolum, quod Te, Patruoque ſuperbit,
ANNIBAL, immenſo lucis honore reples.
Ergo vive: tuos nec tantum vive; ſed illos,
Quos potuit CLEMENS vivere, vive dies.

PRO

PRO ARCADUM COETU
Kal. Jan. 1725.
IDYLLIUM.

Dictum in Cancellaria Apoſtol.

QUod ſibi Tartarea Pluto metuebat in aula:
Crebra quod in terris Populorum vota petebant:
Quod pavidi multis nos expectavimus annis,
Tempus adeſt; Sanctæ patuerunt denique valvæ:
Roma peregrinas invitat ſedula Gentes,
Et ſacra poſt quintum renovat ſpectacula luſtrum.
Jano Roma vetus templum ſtatuiſſe bifronti
Dicitur; & pugnæ ſignum ferale futuræ,
Horrida dum templi reſeraſſet limina Conſul,
Ipſa videbatur ſciſsâ diſcordia pallâ,
Et furor, & triſtes illinc erumpere lites.
Scilicet ut fortes ruituri in prælia cives
Relligione loci, atque atrocis imagine pompæ
Commoti aſſuerent bello; impavidoſque, truceſque
Induerent animos. Mores abiere prophani;
Sanctaque dum reſerat Romanus Templa Sacerdos,
In populos larga cæleſtia gaudia dextra
Spargit, & ex illâ prodit Pax aurea Porta.
Vera quies hominum, cœli venerabile munus,
Pax accepta Deo, Pax optatiſſima, ſalve.
Voſque pruinoſas, qui mox ſuperabitis Alpes,
Voſque procelloſum qui mox ſulcabitis æquor,
Advena, ſeu Civis, pueri, Juveneſque, Seneſque,
Pacem orate omnes: omnes, dum Porta dehiſcit,
Sacras ante fores venienti occurrite Paci.
Noſcitis? hæc illa eſt, cœli quæ miſſa per auras,
Innocuos prima, lętoſque ætate parentes

Sola

Sola voluptatis jam cuſtodivit in horto,
Ante dolo Stygij quam captus uterque colubri
Se ſimul, & miſeros viduaret pace Nepotes;
Sed culpas pertæſa homines, terraſque reliquit,
Et cœlum ſeſe, primamque recepit in aulam.
Quæ fuerit Pax illa tamen noviſſe Noemum,
Cum Deus antiquum ſtabiliret in Iride fœdus,
Credimus, & Lothi Patruum, Natumque paterno
Cœlitus ereptum gladio. Cognovit Jacob,
Et Rachael, & Sarai, Nurus & formoſa Rebecca,
Et qui fatidica pandebat ſomnia mente,
Et qui diviſos ſuſpendit in ęquore fluctus,
Et qui proſtravit Terebinthi in Valle gigantem,
Et qui Pacifici poſt hunc ſibi nomen adeptus,
Et Debora, & Judith, & Job, & uterque Tobias,
Invictique Duces, conſummatique Prophetę.
Sed neque perfectæ novere hi gaudia Pacis;
Nec niſi vicinam, vel ſperavere remotam;
Temporibus donec plenis, Paciſque ſequeſter,
Promiſſique memor mortales induit artus
Filius, æterno æternum de Numine Numen.
Tunc demum in noſtrum rediit Pax aurea mundum,
Humanumque genus longum manſura reviſit.
Illius adventum noverunt omnia; Pacem
Aligerum cecinere chori, pacemque per ima
Regna Patrum manes reſponſavere beati.
Mox & Bethlemio Pacem repetere ſub antro
Paſtores; venere Arabes, venere Sabæi,
Pacis ut auctorem, poſſeſſoremque viderent,
Et ſua pacifico deferrent munera Regi.
Pacem ſenſit humus, ſenſerunt æquora Pacem,
Pacem quadrupedes, pacem volucreſque, feræque;
Pacem homines; pacem totus repetebat & Orbis.
Felices animæ! felicia tęmpora! tunc cum

Infantem licuit Pacis cognoſcere Regem!
Non licet hoc nobis: ſed ſi ſacer incitat ardor;
Exquilias ſaltem, Templumque ſubire juvabit,
Bethlemium naſcentis ubi Præſepe Tonantis,
Et vultu liceat venerari ſupplice Cunas.
Illuc Paſtores, humili dum mitis in antro
Stat Deus; æternæ dum tela recondidit iræ,
Et ſolæ circum Charites, Pax ſola vagatur,
Ibimus, expertemque malorum orabimus annum.
  Annue, Sancte Puer, noſtris Puer annue votis.
Ut bona promiſſæ guſtemus gaudia Pacis,
Adverſas perrumpe acies, hoſtemque coerce
Tartareum; atque bono nos, noſtraque reſpice vultu.
Te timeat, te ſemper amet Gens omnis, & uni
Thura tibi, tibi vota ferat; Tu triſtia bella
Fac ſileant: Tu pelle procul peſtemque, famemque.
Cuncta regat Pietas; totum regat unus Ovile
Paſtor: & in toto regnet Pax aurea mundo.
  Annue, Sancte Puer; noſtris Puer annue votis.
Carmine Paſtores, mea carmine vota ſecundent.
  Carmen, io, carmen! Deus; oh Deus annue Votis.

HOMINIS NOVISSIMA.

MORS.

MOrte mihi in vita nil certius; & tamen eheu!
  Vitam Ego ceu numquam ſim moriturus, ago!

JUDICIUM.

JUdicis æterni ad nomen, vultumque tremiſco:
  Quam timeo, ne me deſerat iſte timor!

INFERNUS.

INfernus data pœna reis; duriſſima pœna!
  Criminibus tamen eſt heu! minor illa meis.

PARADISUS.

VIrtutis merces cœlum eſt; pulcherrima merces!
  Et vitæ illecebras deterioris amo?

DE

DE BERNARDINO EQUITE PERFETTI,

Inter Arcades ALAURO EUROTÆO.

CARMEN.

Habitum in Capitolio eo ipſo die, quo inſignis Poeta Extemporaneus jubente Benedicto XIII. Pont. O.M. Adſtante Violante Beatrice è Bavaria Magna Etruriæ Principe,

A S.P.Q.R. Laureâ coronâ donatus eſt Anno 1725.

Pande triumphales Arx inviċtiſſima Portas
Ingentemque tuo compleċtere colle Poetam,
Grandia dum recipit jam tot poſt ſæcla Poeſis
Præmia; deſuetique illi redduntur honores.
Scilicet everſam poſtquam Petrarca Saguntum,
Et domitam Lybiam, debellatumque Siphaecem
Voce canens Latiâ viridi ſua tempora lauro
Cinxit, & inſigni petiit Capitolia pompâ:
Triſtibus auſpiciis Arbos generoſa repente
Aruit, & ſemen quod forte ſuperfuit; illud
Longius immites aſportavere camœnæ.
Omnes ex illo nequicquam tempore Vates
Speravere ſibi Phœbeæ præmia frondis.
Sic Franci nemus omne ſoli luſtravit, & omnes
Europæ fines, Lybiæque Areoſtus arenas;
Sanċta Paleſtinæ ſic irrequietus obivit
Littora, dum Lauri Torquatus fervet amore,
Viſurus, ſi forte ſacras Jordanis ad oras
Surgeret, aut Libani foret hæc interſita Cedris;
Adfuit & pelagi qui ſe committeret undis,
Viſeret & poſitas alio ſub ſydere Gentes,

Al-

Alter ad Hiſpanos; alter peragravit ad Indos;
Nulli forte datum felicis munera plantæ
Carpere poſſe manu, capitique aptare coronam.
Irrita ſed toties vota, exhauſtoſque labores
Pacato tandem vultu aſpexere Camœnæ,
Atque huc ignotis abductum ſemen ab oris
Mandavere ſolo, & ſpem conceſſere futuram
Quâ Septicollem Tyberis præterfluit Urbem,
Et Capitolinâ veneratur in Arce Senatum.
Adfuit occulto *Regalis Fœmina* facto,
Præſentique adeo firmavit Numine plantam,
Ut cito prodierit, citiuſque adoleverit; & jam
Frondibus ornetur, atereſque imitetur honores.
Sed tibi qui plauſus? tibi qui feliciter audax
Solus inacceſſam potuiſti inviſere plantam,
Invictâque manu hærentes convellere ramos,
Et caput inſigni primus redimire coronâ?
Pande triumphales Arx invictiſſima Portas,
Ingentemque tuo complectere colle Poetam.
O decus! ò noſtri laus conſtantiſſima ſęcli;
Additaque Hetruſcis Vates nova gloria faſtis!
Laurus io! *Perfettus* io! date laurea plenâ
Serta manu, ſocioque hilares aſſurgite Vati,
Arcades, & magno concedite carmen *Alauro*.

DE MONTIS CASINI LAUDIBUS.

Hujus quicumque ad Collis faſtigia tendis
Caſſini cupidus coram noviſſe receſſus,
Nè tantùm hic credas Benedicti habitare ſequaces.
Hic & Pax habitat, Pietas, Sapientia, CHRISTUS.

AD HIERONYMUM COMITEM DE OSASCO.

Vilia ſint quamvis quæ do Tibi munera Oſaſce,
In manibus ſiunt nobiliora tuis.

FI-

FIDALMÆ NYMPHÆ ARCADICÆ
EPITAPHIUM.

INteriit Fidalma. Poetria doctior illâ
Non fuit Arcadico, non erit ulla, choro.

EPIGRAMMA.

SCripſerat Orator de Luce; ſed hoc ita clarè,
De tenebris ut eum diſſeruiſſe putes.
Scripſit Achemenides poſt hunc de Luce Poeta;
Lucidus, ac veluti res jubet ipſa, fuit.
Quæ veſtro, Orator, quæ, Vates, digna labore,
Dignaque quæ veſtrâ præmia luce reat?
Æternum tenebroſe tuis tibi vive tenebris;
Lucidus in lucem proferat Auctor opus

PRO ARCADUM COETU.
Kalend. Auguſti Ann. 1725.
ELEGIA.

URimur: Auguſti rabidę venere Kalendę;
Bacche, tuis aliquam vatibus affer opem:
Aſpice: deſerta Muſarum, & Apollinis umbra,
Unica Nos Vitis protegit umbra tuæ.
Poſt longum tempus veteri de more canemus,
Noſtraque cui demus carmina, primus eris.
Ergo age pampinea redimitus tempora frondę,
Nos inter Phœbi ſuſcipe, Bacche, vices.
Voſque ó Caſtalias ó Vates ſpernite lymphas.
Poſtulat æſtivus fervida vina calor.

Deſ-

Deficiente die , mox & ſurgente bibamus ;
Stetque coronatus tempus in omne calix .
Evoe : Cuſtodi Juvenes , aſſurgite noſtro .
Hoc tibi nempe ſacrum eſt , Alpheſibœe , merum .
Dii tibi dent annos , validam tibi dentque ſenectam ;
Æternum noſtros ut tueare greges .
Vidiſti infantem ; vidiſti aſſurgere cœtum hunc ,
Qui ſtabili tandem ſede beatus erit .
Ipſe ſuos olim certè tibi debuit ortus ,
Fortunam tibi nunc debet & ipſe ſuam .
Perge ; ſed heu laſſis vox faucibus hæſit , & ipſa
Immodicâ languent arida membra ſiti .
Bacche iterum faveas : calicem mihi ferte ſecundum .
Quiſquis ades puro prolue labra mero .
Evohe . fortunent Elbaſci Numina dextram ,
Conſtruet Arcadicum quæ modo dextra Nemus .
Sunt tibi , ſunt animi , vireſque Elbaſce , tuumque
Non minus hinc certè nobile nomen erit .
Arte laboratum mirâ diſpone theatrum ;
Ars tamen ut proprium callida velet opus .
Muſcoſo ſurgant ſubſtructa ſedilia topho ;
Præbeat & molles ſæpius herba toros .
Interdum patulis arbuſta interſere plantis ,
Protegat & Vates Parrhaſis umbra ſuos .
Inter non ſteriles Alphæus ſerpat arenas :
Mox Arethuſeas ſponte ſequatur aquas .
Hic Regum benefacta , hic dignas Arcade leges ,
Functorum hic ſervet nomina clara lapis .
Sint precor Arcadicos imitantia ſingula mores ,
Et niteat priſca ſimplicitate locus .
O plauſus ! ò læta dies ! cum noſtra licebit
Dicere ſub domino preſſimus arva pede !
Ibimus , & clauſæ ſtatuemur ad oſtia ſylvæ ,
Quoad Nemoris Cuſtos pandat utrinque fores .

Tunc

Tunc neglecta diu ruet in certamina pubes,
Arcadicum culto carmine faſſa genus.
Pan Deus Arcadiæ præerit: Te Pana ſequemur;
Tangemuſque hilari ſiſtra canora manu.
Vos quoque Pierides; tu Phœbe domeſtice fauſtis
Parrhaſium auſpiciis ingrediere nemus.
Centum aderunt Dryades, centum de monte Napææ,
Ducet & argutas plurima Nais aquas.
Mox & Faunorum, Sylvanorumque per agros
Cum Satyris ludet, ſed ſine lege, cohors.
O plauſus! oh læta dies! ò plauſibus impar!
O inter fauſtas ſemper habenda dies!
Hæc olim; interea lux hæc genialis agatur;
Efficiantque novam pocula lætitiam.
Evohe! quid ſtatis? mihi pocula plura ferantur:
Pocula principium, pocula finis erunt.
Carmina Bacchus amat; Bacchum celebremus Amici;
Et ſacra ſint hilari carmina noſtra Deo.
Gratulor: anguſto recitabimus ecce theatro:
Sed ſpecimen longè nobilioris erit.
Carmina nunc raræ dicemus noſtra coronæ;
Audiet hinc noſtros ampla corona ſonos.
Scilicet humanis quidam præſcribitur ordo
Rebus, perque aliquos itur ad alta gradus.
Sic prius, Oceano quam ſe committat aperto,
Solers littoreum Navita tentat iter.
Sic prius, æratas quam ducat in arma phalanges,
Dux jubet innocuâ bella ciere manu.
Sic prius, infenſos Tubicen quam territet hoſtes,
Provocat altiſonâ concavâ ſaxa tubâ.
Quod Tubicen fueris, quod Dux, quod Navita Nobis;
Adjice & hoc faſtis Alpheſibœe tuis.

CUM IN PARRHASIO NEMORE

Novum Arcades Theatrum ad Janiculi Radices dedicarent Anno 1725.

DEO NATO.

Hymnus.

O Puer naſcens humili ſub antro;
O Puer ſummo genitus Tonante,
Quique Paſtorum genus Innocentum
Paſtor amaſti;
Si tuâ ſemper fuimus ſub umbrâ,
Si tibi lætis canimus quotannis
Vocibus, Magni ſacra dum recurrunt
Gaudia Partus;
O favens adſis, facilisque Sylvam,
Quæ tibi creſcit, Puer, hanc tuere;
Arcadum ſupplex tibi dum dicamus
Turba Theatrum.

INSCRIPTIO FONTIS PRO EODEM NEMORE PARRHASIO.

PRoſpiciant Reliquæ, Nemoriſque, Locique decori;
Extinctura venit Naias iſta ſitim.

DE NOBILISSIMA HORATII Verſione Italica Eriphyli Criuntini P.A.

EPIGRAMMA.

TE legiſſe puta Venuſini Carmina Vatis,
Eriphyli quiſquis carmina culta legis:
Sunt eadem; niſi quod numeris olim Ille Latinis
Scripſit, at Hetruſcis nunc canit iſte modis.

TEM-

TEMPLA.

ECLOGA.

Acta in Cancellaria Apoſtolicâ VII. Kal. Jan. anni 1726.

Cum in Arcadum Cœtu Nativitas Domini celebraretur.

Alpagus. *Myræus.*

My. SÆvit hyems quando, nivibus quando, Alpage, latè
Omnis nos circum tegitur vicinia; nec fas
Ire procul, pecus aut educere; carmine ſaltem
Certandum; alterno certemus carmine.
Alp. Numquam,
Me Myræe tibi renuentem videris; at Tu
Argumenta hodie, quæ ſint tractanda moneto;
Neù tamen argumenta petas ab amore: leveſque
Mitte jocos; majora canant ad magna vocati
Arcades.
My. Imo ſacro, ſi vis, mea carmina cantu
Mixta tuis reſonent; plectrum percurrere dextrâ
Tireſias poterit, qui nos adit ecce, magiſtrâ.
Et prope Virginei quoniam ſunt tempora Partus,
Virgineum alterno celebremus carmine Partum.
Alp. Viribus heu noſtris tentas majora, nec ipſe
(Fabor) opus tam grande meis ſim viribus auſus.
Verum age, quandoquidem memori omnia mente tenemus.
Virgineâ de Matre canens quæ carmina quondam
Diceret ELMIRA, Arcadicis Nympha inclyta ſylvis,
Hadriacas dum propter aquas Genitricis adiret
Templa Dei, Laurique Urbem de nomine, dicam.
My. Imo ego, ni renuas, ſubjungam carmina, quę jam
Numinis ad cunas, Matris quà Virginis Ædes

 Surgit

Surgit in Exquiliis non raro AMYRISCA canebat.
Nec procul Exquiliæ. Templi hinc Turreſque, tholoſque
Aſpectare licet; quam ſit locus ille verendus,
Cætera defuerint quamvis, ſatis ipſe doceres
Exemplo CRATÆE tuo; Te vidimus illâ
Nempe die, ſacrâ cum circumſtante caterva
Grandis in Exquiliis Præſul data munera obires,
Et gravis aſpectu, lacrymiſque decorus obortis,
Ingrederere ſacrum curvato poplite limen.
Quid quod regali ſplenderet & undique pompâ
Templum, & diſpoſitis lucerent atria flammis?
Dona quid ampla, tuum quæ teſtarentur amorem,
Auro intertextæ veſtes, & principis Aræ
Utraque, quæ conſtat facies ſolido ex argento?
Quid tua quod recipit Paſtores aula quotannis
Infanti cantanda DEO qui carmina promant?
Et tua non raro promis quoque carmina Vates?
Alpage, parce animo, memorat dum talia grato.
Si libet ad metam redeamus, Amice, relictam.
Incipe tu prior; Elmiræ jam carmina nobis
Pande: Ego quæ cecinit tibi mox Amyriſca, reponam.
Alp. O ſuperis dudum, ò noſtro venerabilis Orbi
Alma domus, primæ hoſpitium cui contigit uni
In terris præbere Deo: cum ſponte ſubivit
Virginis intactæ gremium mirantibus aſtris!
Heic illa Angelicos expavit pallida vultus,
Audiit heic primùm perterrita, ſe ſuper omne
Evectam muliebre genus, Matremque futuram,
Ancillam ſeſe heic dixit, noſtræque ſaluti
Proſpiciens monitis ceſſit, Vocique potenti.
In te parva domus primùm reptavit: adultus
In Te virtutis Deus argumenta ſeveræ
Prima dedit, viſuſque ſuis præludere pœnis.
Salve ò Virginei Teſtis domus alma pudoris

Con-

Conſcia, quæ miri fortunatiſſima facti
Celſa Palæſtinas ietas laudata per Urbes;
Aligerum mox tu manibus traducta beaſti
Italiæ fines, Picenæ & littora terræ.
Italiæ propius Te Gens, te maxima longè
Suſpicit Europe, Europe, quæ huc undique ſupplex
Sæpe venit, magnoſque tibi ſubmittere Reges
Prona ſolet. Salve; en humili tua limina fronte
Oſculor. ah faveat lacrymis mitiſſima noſtris,
Virgo Parens, precibuſque meis tuus annuat Hoſpes
Alma domus, ſemperque tui celebrentur honores.
Hæc Elmira; mihi quæ dic Amyriſca canebat.
My. Quis mihi det voces, queis ipſa æquare canendo
Exquiſii miranda queam præconia Templi?
Sacra Ædes, Nivibus quæ ſat diſtingueris, & quam
Virgo Parens viſa eſt terris magis omnibus unam
Prodigiis propriam ſibi velle ingentibus: Illi
Dum tribuit toties, peſtemque arcere, famemque,
Bellaque, & inſtanti Romam prohibere periclo.
En ego Te ſupplex adeo, Noctiſque verendæ,
Quà Deus in Terris voluit de Virgine naſci
Tempora dum redeunt, genibus tua limina flexis
Ingredior: Placitum ſacras accedere cunas;
Bethlemiumque in Te Præſepe Tonantis adoro.
Heic igitur Puer ille Deus, novitate Parente
Attonitâ rerum, ſuperiſque ſtupentibus ipſis
Vagiit? ò pignus non enarrabile Amoris!
Quot tibi ſe populi vovere! quot ampla dederunt
Thura Sacerdotes! tibi quot diademata Reges
Submiſere! iſtas quot in omni tempore ad aras
Inſignes pietate Viri lacrymaſque, preceſque
Obtulerunt! nec vana ſuo invenere labori
Præmia! ſcit NERIUS! ſcit BORROMÆUS, & ingens
LOYOLA, & patriæ laus non moritura THYÆNES.

 O mihi

O mihi ſaltem aliquid detur ſi poſſe mereri !
O ego quæ repetam Exquilii præconia Templi !
Atque hæc Exquilias Amyriſca canebat ad Aras .
Apl. O Fortunatæ , natæque ad grandia Nymphæ !
Ambæ Regali ſublimes ſtemmate , & ambæ
Inſignes titulis ! virtutibus utraque dives ;
Utraque plena Deo : pietatis & utraque cultrix !
My. O Felix , ò cara Deo Terra Itala ! cunctas
Quæ Maris , & Terræ rides ſecura procellas ,
Dum Mater tibi Virgo favet , dum ſplendida utrinque
Hæc tibi Templa , duo ceu propugnacula , ſervant
Illinc Hadriaci , Thyrreni hinc æquoris oras.

AD NICOLAUM SERRA
Patricium Genuenſem.

Nunc Utriuſque Signaturæ Referendarium, & Anconæ Gubernatorem.

ELEGIA.

SErra, quid optatos aliis contemnis honores?
Quid refugis Latiam cingere , Serra, togam?
Horrida quid cupidâ meditaris prælia mente ?
Quidue tuo Mavors ſemper in ore ſonat ?
Crede mihi ; quæcumque tuum det prẹmia bellum ,
Non adeo votis ſunt adeunda tuis .
Crede mihi ; quæcumque paret tibi præmia Roma ,
Non adeo votis ſunt fugienda tuis .
Mitte truces animos ; illoſque reſumito ſenſus ,
Qui deceant vultus , mitis Amice , tuos .
Non bene conveniunt leni fera prælia dextræ ,
Martius , & docili torpet in ore furor .

Dii

Dii Tibi non dederunt atras ſpirantia cędes
 Lumina, nec ſævas ora imitata feras.
Blanda quies oculis, nitido pax aurea vultu
 Splendet, & ingenuus ſtat tibi fronte pudor.
Adde quod ingenium dederint, mentemque capacem,
 Conſtantemque animum, conſiliumque ſagax.
Ne dubites; ſacro digni tibi Principe mores;
 Dignus & imperio forſitan Orbis eris.
Mitte moras omnes: ſtudia in contraria verſum
 Pone animum; Te vult Tybris, & Aula vocat.
Te gravis hoc Genitor, Te ſpectatiſſima Mater,
 Te tuus hoc etiam Frater uterque rogat.
Hoc Avus, hoc Proavus, majorum hoc quiſque tuorum,
 Te ſolet hac intus voce monere, Nepos.
Eſto: ſit antiquo deducta è ſanguine, dicunt,
 Fulgeat & titulis Stirps generoſa ſuis.
Splendida divitiis, alienis cognita Terris,
 Jactitet Heroas ſemper ubique ſuos;
Dulcitèr hinc Patrii præſcribat jura Senatus,
 Hinc dederit fortes Fortis ad arma duces.
Nec deſit ſacro qui ſplendeat inclytus oſtro,
 Grandeque cujus adhuc nomen in Urbe ſonet.
Hoc tamen, hoc volumus; Romam te confer; avemus
 Antiquum per Te ſic renovare decus.
Sic ipſi; & ſi forte velis Tu vera fateri
 Intus ſæpe aures vox ferit illa tuas;
Interea Te Roma fovet; Te Roma fovebit;
 Veri alitèr Gnati non patietur amor.
Splendebant triplici contenti Prole Parentes,
 Muneribus natos dum ſtatuere ſuis.
Primus erit Patriæ: teneat bona Roma Secundum.
 Tractet inoffenſa Tertius arma manu.
Creſcite: felicem Pueri ſic vivite vitam,
 Impleat ut munus quilibet inde ſuum.

 Sic

Sic tacito Genitor, voto ſic Mater aperto,
Infans ipſe domi dum gradereris, ait.
Ergo erit, ut ſpe tam pulcrâ viduare Parentes,
Unus & hanc legem diſſociare velis?
Adde quod & fidi Te ſic hortantur, amici.
Unus amicorum ſpernere verba potes?
Perge: quid arma olim; quid martia ſignia ſecutus
Sperandum votis credis, Amice, tuis?
Irrequietus ages per mille pericula vitam,
Finis & heu numquam, quem tibi fingis, erit.
Feda per humanas quærenda eſt gloria cædes,
Ut referas duri nomen inane Ducis.
Tutius at contra meritos tibi ſervat honores,
Pacificos ſemper Roma datura dies.
Hic tibi nil non ſperandum; triplicique coronâ
Scis, puto, Te dominum cingere poſſe caput.
Eja age rumpe moras, Patriæque, Patriſque, meique
Mitior haud ſpernas jurgia, vota, preces.
Eveniet. Mihi Pallas idem, mihi ſpondet Apollo;
Vera mihi ſemper Numen utrumque canit.
Novimus: oſtenſum, Juvenis clariſſime, magnis
Fortitèr auſpiciis ingredieris iter.
Quod ſi carminibus victus memorabere noſtris,
Deſperent majus carmina noſtra decus.

DE CATHARINÆ BORGHINÆ
Nobiliſſimæ Virginis Piſanæ Elegiis.
EPIGRAMMA.

HOs cultos elegos, culta hæc quis crederet unquam
Carmina fęminea ſcripta fuiſſe manu?
Fœmina ſed ſcripſit, cecinit ſed Fœmina; Tuque
Tam benè dum latiis dulce canis numeris;
Haud dubiè, BORGHINA, queat quid fœmina, quàmque
Felix ingenium ſit mulièbre, doces. ARE.

ARETES.

ECLOGA.

Acta Ludis Olympicis, cum Arcades illos in honorem Joannis V. Luſitaniæ Regis in Nemore, ac Theatro ab Eodem Ipſis donato, & erecto celebrarent. Anno 1726.

Pan, Apollo.

Pan. PAn Ego: Montanę genialia numina Nymphæ,
Capripedeſque Dei, ſtudium queis ſubter opacas
Sylvarum latebras, & dulces inter avenas
Sepoſitis curis placidæ indulgere quieti,
Hoc ſuper unanimes mecum requieſcite colle.
Hic ego, poſthabito, quem fovimus ante Lycæo,
Mœnalijſque jugis, & vertice Nonacrino,
Auſpiciis vos ſiſtam hodie melioribus, atque hic
Poſt reſides annos, poſt otia longa canemus.
Dicite Io Nymphæ, nova dicite carmina Fauni,
Voſque hylarem Satyri ſaltando inducite pompam.
Ap. Pierides mea cura; ſolo confidere certo
Quando datur, veterumque juvat meminiſſe laborum;
Muneris Authorem tanti, qui Vatibus antra,
Qui Sylvas aperit, qui paſcua donat, ARETEM
Carminibus celebrate ſacris; Ego carmina Phœbus
Veſtra ſequar, Cytharæque novas in carmina vires
Adjiciam fidibus, reſpondebuntque Poetæ.
Dicite Io Vates, nova dicite carmina Muſæ.
Pan. Area jam patuit; populo jam læta frequenti
Fervet Olympiacæ ludos imitata paleſtræ,
Magnanimi quæ mox laudes reſonabit ARETIS.

Ite

Ite alacres, veſtrumque genus, veſtrumque probate
Arcades ingenium, vireſque intendite mentis,
Carmine quę poſitis certet modo fortitèr armis.
Ap. Carmine certandum? calamos jam profer agreſtes
Pan Deus, atque aliquid dignum meditemur ARETE.
Namque Athleta novus mediâ conſiſtit arenâ,
Teque moræ impatiens vocat in certamina Phœbus.
Pan. Nil moror, & quamvis tibi quæ ſub Judice Tmolo
Ceſſit cauſa, Midæque probrum, atque injuria noſtri,
Nam memini, pugnâ me nunc revocaret ab iſtâ;
Hoc tamen ingentis ſi gloria poſcit ARETIS,
Non ego cum magno renuam contendere Phœbo,
Atque iterum veniam certamen promptus ad impar.
Ap. Arma pares faciant; cytharam tu ſumito noſtram;
Syringim mihi trade tuam; mihi ſuſcitat illa
Dulce olim exilium, & felicia tempora, tum cum
Pavimus Admeti per amœna vireta Juvencos.
Pan. Tradimus, & judex fuerit ſibi quiſque; coronam
Adde quod & victi feret hinc ſua præmia victor.
Ap. Sic erit; interea, dum Pan Heroica cantat,
Grata per has umbras ſervate ſilentia Muſæ..
Pan. Vos quoque, Vos Nymphæ, & Fauni, Satyrique ſilete,
Advena dum noſtras Paſtor, Vateſque, Deuſque
Illuſtrat ſylvas, & agreſtia cantat Apollo.
Ap. Aſpice; quæ ſurgit, nuper mihi conſita Laurus.
Grande Ego ſurgenti deſcribam cortice nomen,
Et creſcent Lauri, creſcet quoque nomen in illis,
Munificumque olim nemus omne ſonabit ARETEM.
Creſcite noſter Amor, vocales creſcite lauri.
Pan. Aſpice; quæ tenui properat modo lympha ſuſurro,
Et ſalit ad noſtros fortunatiſſima cantus,
Mox Tybri conjuncta, Mari ſe immittet aperto;
Omnis & ingentem Maris unda ſonabit ARETEM.
Currite, dum canimus, felices currite lymphę.

Ap.

Ap. Temporis auctor ego, manſuraque temporis ipſa
Me ſine deficeret; meus & movet omnia motus,
Singula qui licet inferiora movendo reſolvat;
Tardius hanc ſylvam, laudeſque reſolvet ARETIS,
Ne noceant, clarumque abſumant ſæcula nomen.
Pan. Et mihi Terra ſubeſt, & pectore ſemina rerum
Clauſa jacent noſtro, mundique vocamur imago:
His modo, ne pereant, arcanum ſæpe vigorem
Fontibus injiciam, famamque tuebor ARETIS,
Non intellectam ſpernat quæ temporis iram.
Ap. Materies, quæ vorticibus circumacta, ſeorſim
Motibus alternis collecta, & pendula centro
In medio rutilat ſublime, & luce magiſtra
Occluſas rerum facies aperitque, fovetque
Viſibus humanis conceſſum munus in uſus,
Imperio ſubjecta meo, diviſaque rurſus
Suppeditat terris, aſtriſque minoribus ignem.
Hunc ego luce novâ imbutum, & virtute recenti
Sydere demittam noſtro, reliquiſque jubebo
Syderibus, res ut fortunent ſemper ARETIS.
Spargite propitiam vaga ſydera ſpargite lucem.
Pan. Aſt ego materiem, & ſubtilia ſemina flammæ,
Quæ collecta tenes, atque orbe moraris in uno,
Per magnæ venas Matris, perque oſſa, per artus
Sparſa agito, moveoque: & quidquid curſibus iiſdem;
Axe vibras ſummo, nos centro emittimus imo.
Utraque vis conjuncta ſimul, duplicique calore
(Fertilis ut quondam, primàque in origine Tellus
Concipiebat non vitiata ſalubritèr herbas)
Reddita vividior robur felicibus arvis
Grande dabit poſthac, rebuſque favebit ARETIS.
Gignite fœcundi bona germina, gignite Campi.
Ap. Quid Jove? quid Phœbo? quid Pallade majus in orbe?
Magna tamen tenues haudquaquam numina verſus

Odi-

Odimus, & numeris placamur ſæpe cânoris.
Tu quoque Diis propior ne dedigneris, ARETES,
Carmina; carminibus grati tibi ſacra quotannis
Arcades exolvent, noſtriſque vocabere votis.
Pan. Carmina digna Deis,& ſanctum carmina munus.
Si minus illa forent, vultu tamen Ipſe ſereno
(Quandoquidem pelago, & Terris dominaris ARETES)
Exciperes quæcumque tibi dat munera Paſtor.
Parva Deis dant ſæpe homines; hominumque libenter
Accipimus parvos, quod nil egeamus honores.
Ap. Sunt mihi ter triplices, genus Immortale Sorores,
Vera quibus virtus, & grandia nomina curæ.
Sæpius has omnes; nam & plus debemus ARETI,
Illius ad laudes, & facta canenda vocabo.
Pangite Pierides, meritas jam pangite laudes.
Pan. Sunt mihi tres tantum fatorum lege Sorores,
Queis ſævire datum, queis omnia ſolvere, Parcæ.
Has ego, nam magni ſic vita meretur ARETIS,
Tardius ut ſolvant præſtantia fila monebo.
Ducite cunctando ſubtegmina, ducite Parcæ.
Ap. Vincimur, & noſtrâ poteris te cingere Lauro.
Pan. Imo Ego Te noſtrâ,nam vincor, arundine cingam.
Ap. Delectat ſonus iſte, licet vincamur, avenæ.
Pan. Ipſe licet vincas, cytharę modulamen amamus.
Ap. Cede mihi calamos: cytharam tu ſemper habeto.
Pan. Cede mihi cytharam: Syringis & arbiter eſto.
Ap. Ruſtica ſint Phœbi, ſint grandia carmina Panos.
Pan. Pan Herous ego, Tu paſtoralis Apollo.
Ap. Virtutem juncti, nomenque canemus ARETIS.
Pan. Arcadiam Imperio, ſtudioque regemus eodem.
Dicite Io Nymphæ, nova dicite carmina Fauni.
Ap. Dicite Io Vates: nova dicite carmina Muſæ.
Pan. Ducite cunctando ſubtegmina, ducite Parcæ.
Ap. Spargite propitiam vaga ſydera, ſpargite lucem.
Pan. Gi-

Pan: Gignite fœcundi bona germina, gignite Campi.
Ap. Creſcite vocales, vocales creſcite Lauri,
Pan. Currite felices, felices currite lymphæ.

Cum transferretur Cadaver Ven. Servi Dei GREGORII CARDINALIS BARBADICI.

Ad Jo. Franciſcum Card. Barbadicum Nepotem Anno 1726.

ODE ASCLEPIADEA.

NUm ſemper levibus Parrhaſium nemus
Implebo numeris? detrahe ruſticas
Interdum tunicas, deſere Tybridis
Undas Muſa tui. Medoacus vocat
Claris Medoacus nobile Vatibus
Flumen, Gregorio Præſule clarius.
Lauro cinge comas, ſume manu tubam,
Et te magnificis inſere cœtibus
Vatum Gregorii facta canentium.
Audin? tota ſuo plaudere Filio
Tellus Eſperiæ geſtit, & infremens
Æquor Gregorii laudibus aſſonat,
Quod ſupra Auſoniam eſt, aſſonat inferum.
Illic Patricio ſanguine naſcitur;
Hic ſe purpureis veſtibus induit;
Illic non humilis Paſtor oves regit;
Hic magnum meritus qui regeret gregem.
O' Roma, ò Veneti Gloria littoris,
Urbs Antenorea condita dextera.
Mores Pervigilis dicite Præſulis,
Dextram munifici dicite Principis.

Exem-

Exemplo populos Vir gravis inſtruit,
Commiſſa eloquio paſcit ovilia;
Doctrinæ ſtabilit præſidio fidem;
Suſtentat miſerans agmina pauperum;
Recludit profugis atria litteris;
Doctis ſemper ubique ingeniis favet.
O Vir Magnanimorum æmulæ Cęſarum!
O exemplar Veterum nobile præſulum!
Hùc adſis tua quando reſerat Nepos
Dilecto è tumulo Corporis hactenus
Intacti lacrymans membra. Superſtitem
Tu vero Patruum vivere qui facis,
Illum dum titulis reddis, & inclitâ
Virtutum ſerie; magnificum decus
Barbadice meis nec leve præmium
Addes carminibus, cum Patruo Nepos
Magno Major eris; triplici & infulâ
Terrarum dominum munieris caput.
Scis, me non hodie talia carmine
Primùm fatidico vaticinarier.
Te ſacri regimen, Te manet imperi;
Sic Zelus Patrui, ſic pietas tua,
Sic commune bonum, votaque publica
Poſcunt; eveniet; nec Deus abnuit.
O ſors Auſoniæ! lętaque Tempora!

AD AROMYNDUM EURITIDIUM. P.A.

PLura quidem Natura parat, parat ars quoque plura,
Quorum ſi ſpectes bene, neſciat utraque finem.
Aſpice: diſſimili ſimiles nemus omne plantas
Educat: hæc viles jam dudum creſcit in uſus;
Altera, non ſic: belligeras formaverit haſtas
Forſitan, aut aras ornaverit illa Deorum;

Iſta

Iſta ſed infelix tignum, remuſve futura,
Sit niſi fumoſæ tandem devota culinæ.
Adde: duo naſcuntur equi, generoſus uterque,
Aptus uterque armis: quid mox? contraria fata!
Alterius dorſo Rex inſidet; alter apertis
Commodat in Campis inhonoro terga bubulco.
Scilicet & rebus quidam eſt vitæ inditus ordo,
Quem juſſæ teneant, quem juſſæ Aromynde, ſequantur.
Quis currente rotâ figulus cum ſedulus olim
Pocula formaret, quæ nunc tibi tradimus, & cum
Abdita purpureis operiret pellibus alter,
Alter & argento variaret deſuper, illis
Dixiſſet: manus aſſiduo quod veſtra labore
Urget opus, Pontum poſtquam tranaverit Helles,
Viderit & varias vario ſub ſydere terras,
A' Lybicis Menſis Lybicâ Romam uſque triremi
Devectum, Artificum dum cura probabitur, illic
Materies fiet non contemnenda Poetis?
Hoc tamen evenit; dumque hæc nat littora circum,
Cum domino, rebuſque ſuis eſt capta triremis;
Poculaque ut decuit, Latiis qui præſidet armis,
Jam Thoas obtinuit; mox hic dulcedine cantus
Forte die quadam captus, dat habere canenti
Illa eadem Artino; ſed & Is (namque inter amicos
Non minor eſt noſtros) mihi cum diſcederet Urbe,
Pignus amicitiæ, dono dedit. Accipe nunc Tu
Pocula, barbarico quæ grata fuere palato,
Et jam carminibus Magnorum cognita Vatum.
Illa ſuà ſiquidem cecinit Semitus Avena,
Illa quoque Artinus. Poſt horum carmina noſtros
Addimus exiguo properatos tempore verſus;
Verſibus & poſſes, obſtet niſi forte voluntas,
Illuſtrare tuis, veteremque augere decorem.

FRAN-

EPIGRAMMA.

URbs fuerat minimas inter vix cognita Bethlem;
Naſcier hac voluit ſed tamen Urbe DEUS;
Munera Paſtores, Naſcenti munera Reges
Ad cunas plenâ depoſuere manu.
Aula Palæſtini Syon erat inclyta Regni;
Hac DEUS elegit nudus in Urbe mori.
Hæc eſt, magne DEUS, tua ſumma modeſtia: Bethlem,
Cum Te circumſtat gloria, nempe placet.
Cum Te ſola manent opprobria, vincula, lethum;
Hieruſalem, quo plus deſpiciaris, amas.

EPIGRAMMA.

ODimus æſtatem tum, cum calor opprimit artus,
Ipſaque cum longe eſt, grata videtur hyems.
Tum cum ſævit hyems, contractis frigore membris,
Optatur, quem nos ſprevimus ante, calor:
Sic, æſtas, ſic tranſit hyems: miſer & ſibi quiſque
Vivere dum properat, mortis anhelat iter.

ECLOGA.

Acta in Parrhaſio Arcadum Nemore ad Janiculum Anno 1727.

Amyclas. *Lycidas.*

Am. POne pedum Lycidâ, poſitaſque reſume cicutas;
Dumq;Ego carminibus;nã me novus incitat ardor,
Mira inſueta canam: Tu carmina noſtra ſequaci
Excipies calamo, ſonitumque ciebis agreſtem.
Lyc. Ten 'ego cantantem Lycidas comitabor Amycla?
Quan-

Quandoquidem corvis vis & famulentur olores?
Falleris: inverſo quin iſtius ordine pacti,
Cantabit Lycidas, ſonitumque ciebit Amyclas.
Am. Reſpuis? alternis cantabimus ergo: canoros
Proferet & calamos, qui nos adit ecce Megildus.
Quid Lycidas poſthac, poſthac quid præſtet Amyclas,
Si mea me virtus audit: mora nulla, patebit.
Incipe: ſed poſito certandum pignore; Profer.
Lyc. Ponam ego quo ſolem poſſis avertere, lectis
Intextum Paleis, rarumque labore galerum;
Hetruſcis nuper mihi cum veniſſet ab oris,
Falleret ut patriâ peregrinas arte volucres
Tradidit hunc Argon: Venator cognitus Argon.
Am. Ruſticus eſt Lycidas, & ruſtica munera ponit.
Aſt ego, quem toties Urbs excipit alta Quiritum,
Quem toties audit, quem non ſpernitque canentem,
Pignora do me digna; tibi tua munera reddam,
Si vincam; hoc ſaltem victus ſolamen habeto.
Lyc. Parcius hæc Paſtor; donec victoria pendet,
Neu tantum tumeas; ſed quid tam grandia verba
Significent, & pignus amarem ſcire quod iſtud.
Am. Eſt mihi non noſtris viſa umquã, aut cognita ſylvis
Machina, quàm pugnæ ponam pro munere: tamque
Cara mihi res eſt, ut non poſuiſſet Amyclas,
Hoc niſi certamen vincendi certus iniret.
Axe interpoſito regit hanc tornatile buxum;
Ipſaque (perfectè nam tu fateare rotundam)
Si libeat partes circumverſatur in omnes;
Multicoloratâ quin &, ſcriptâque papyro
Deſuper in gyrum tegitur. Qui talia norunt
Terraqueum dixere Globum: quo ſcilicet omnem
Inſpectare licet longis ſine curſibus Orbem.
Illic Oceanum, Fluvioſque, Urbeſque notares;
Litoraque, tractuſque maris, monteſque, lacuſque,

Terrarumque ſitus, & nomina quæque locorum.
Artis opus miræ: docti mihi munus amici:
Nam Sophus, & Vates ad lævam Tybridis undam
Brennalius dedit hoc, uſumque oſtendit, & artem.
Lyc. Audieram tali ditem te munere dudum
Ad noſtras rediiſſe caſas, ac ſæpius illud
Poſcere meus fuerat; tuus at me terruit iſte
Faſtus, & averſi duro ſub cortice mores.
Nunc age, ſi quid mite potes, permitte videndum.
Am. Non ſumus indociles, non ut tu rere, ſuperbi;
Munus adeſſe putes: hæc noſtra Mapalia ſervant.
Nunc fero, nunc redeo: legere at te ſcire putamus;
Nam ſi neſcires nil cernere proderit; audis?
Lyc. Vix iram cohibere licet. Legimuſque, ſimulque
Scribimus, & mores non ignoramus, honeſtum
Qui deceant hominem: jam perge, & munera profer.
Cerne. volat, cœtuſque inter furibundus agreſtes
Dignatur nullum; ſecedite: tranſit Amyclas.
Induit oh quoties ſenſus mens docta ſuperbos!
Jam redit, & miram, nec parvam pondere molem
Igneus ore, manu ſuſtentat anhelus utrâque;
Hic depone: bonum fateamur oportet Amyclam.
Am. Sat videas: ne tange manu: confringere poſſes,
Vel ſaltem fædare: procul, procul eſte bubulci.
Materies oculis non hæc eſt debita veſtris.
Lyc. Cur alibi ſic raro, alibique frequentius iſthæc
Pingitur, & multo variatur charta colore?
Am. Rara maris, ſit denſa ſoli tibi pagina ſignum,
Sed lege perque ſuum cognoſcito ſingula nomen.
Lyc. Auſpicium proh quale! prius venit India nomen.
Scilicet hæc illa eſt tot felix India gemmis!
O fortunati quos cælum protulit illud!
Am. Si proprii tibi cura gregis, tibi cura peculj,
Otia nec ducas, vanoſque ſequaris amores,

India

India quod præſtat, tuus & præſtabit agellus.
Volve globum, genteſque alias alio orbe require.
Lyc. Obſequor: ignotum mihi nomen charta legendum
Obtulit, ignotum certè Chalifornia nomen.
Am. Verè paſtor hebes! quid ſit Chalifornia neſcis?
Lyc. Neſcio; numne putas hoc irreparabile crimen?
Am. Rurſus volve globum: Patriiſque aſſuetus in oris
Degere: ne cures Italos excedere fines.
Lyc. Quam bene reſpondet veris hæc pagina! cruris
Italiam Genitor ſub imagine ſæpe canebat
Eſſe. vide Tybrim, quàm parvulus! aſpice Romam
Fœnili minor hic noſtriſque mapalibus illa eſt.
Am. Sed fœnile tuum, ſed noſtra mapalia tantum
Hæc ſuperat, quantum arentem vaſta æquora fontem.
Lyc. Hei miſer! heu fruſtra Romam,Tybrimq; requiro;
Quin Latium amiſi; quo nunc abiere? quid hoc eſt?
Am. Stulte; globum tetigiſti, atque Itala terra receſſit.
Lyc. Fare age quid duplex ſibi vult hæc linea? quarum
Altera directè, obliquè ſecat altera mundum?
Am. Altiùs hoc repetam.Pictum quæcumque per orbem
Signa vides, non hæc rere omnia vera: nec illa
Quà patet immenſo diſtincta eſt linea cælo.
Humanum ſolers hìc quæ plerumque notantur,
Protulit ingenium: zonaſque, poloſque, graduſque
Repperit, & multo diviſit clymate mundum;
Addidit & varios, quos hic diſtinctiùs orbes
Aſpicis expreſſos; varioſque effinxit in uſus.
Namque alii loca diſſita quæque, & quattuor anni
Tempora, diverſoſque dies, longoſque, breveſque
Aſſignant, ſoliſque moras, reditumque viciſſim,
Demonſtrare ſolent; horum qui rectior omni
Mundum ex parte ſecat, bis in anno noctibus æquat,
Dinumeratque dies; ſed qua ratione diurnum
Sol iter: integro qua mox iter exigat anno,

Circulus, obliquo qui fertur tramite, ſignat.
Poſſem ego diverſi cauſas tibi dicere motûs,
Diverſaſque vias; ſed paſtoralis avenæ
Hoc ſuperat vires. Unum te ſcire memento;
Solis ab aſpectu plures emergere motus:
Firmaque quód Sol eſt, & publica regula mundi.
Lyc. Grandia narraſti: ſed quæ meminiſſe, fatebor.
Vix ego ſufficiam; nec tecum pignore certo.
Am. Diſce igitur doctos non inſultare Poetas.
Muneribus noſtris quantum tua munera cedunt,
Cantando Lycidas tantum quoque cedit Amyclæ,
Sed quid agis? dirimenda alterno carmine lis eſt.
Lyc. Incipiam; tremulo ſed vox male prodit ab ore.
Am. Nempe prius tibi fas proprias expendere vires.
Lyc. Jam redit autumnus, jam torrida deficit æſtas:
Bacche racemiferis ades ò redimite chorimbis.
Am. Autumnum Bacchus, ſua quodvis tempora numen:
Semper Apollo favet: mihi ſemper Apollo colatur.
Lyc. Numen cuique ſuum; melior mihi Bacchus Apollo
Sufficit ingenium, mentemque accendit, & urget.
Am. Vina tibi: potum mihi purior unda miniſtret;
Sint mea pura precor: ſapiant tua carmina muſtum.
Lyc. Dic mihi Dyrcæò de fonte quis effluat humor?
Am. Dic mihi quid ſacro potent in vertice Muſæ?
Lyc. Odiſſent Lymphas, biberent ſi vina camœnæ.
Am. Deſine: jam crebræ ſaliunt per gramina guttæ,
Et madefit tellus, & plurimus imminet imber.
Ne pigeat differre alias certamen in horas,
O Lycida, ne forte Globus nunc iſte fatiſcat,
Neve coloratam mihi diluat unda papyrum,
Curandum; hinc tollam, ſtabulique intra abdita noſtri
Aſportabo: dies ſi læta refulſerit inde,
Carmina tunc dicemus: amant nam læta Camœnæ;
Et nitido melius cantantur carmina cælo.

SUB

SUB EFFIGIE FRANCISCI BLANCHINI
EPIGRAMMA.

BLanchini effigiem tabulâ qui cernis in iſtâ,
  Inſignem doleas interiiſſe virum.
Noverat Ille quidem Noſtro quidquid patet Orbe,
  Noverat immenſo quidquid & Orbe latet.
Hæc tamen haud fuerat ſtudiorum meta ſuorum;
  Majus adeptus & eſt à Probitate decus.
Moribus Ingenium quantum concedit; in Ipſo
  Tantum conceſſit Moribus Ingenium.

AD JOANNEM ANTONIUM VULPIUM
Patavinum Anteceſſorem.

EPIGRAMMA.

TUne meos laudas Vulpi clariſſime verſus?
  Muſaque Judicio noſtra probata tuo eſt?
Carmina nunc aliquid, fateor, noſtra eſſe putamus;
  Quæque mihi dudum diſplicuere, placent.

DE CÆSARE TRAGÆDIA
Abbatis Antonii Conti N. V.

HENDECASYLLABI.

SI quis ſe Tragico induat Cothurno
  Et nomen Tragici ambiat Poetæ,
Non & Laudibus efferat Poema,
Quod de Cæſare nuper edidiſti,
CONTI, ingens Veneti decus Senatûs;

 Is

Is me Judice, Judice atque Phœbo,
Mentitur; Tragicus nec eſt Poeta,
Artem nec Tragici ſapit Cothurni.

AD MARIUM GUARNACCI V. S. R.

EPIGRAMMA.

Euripides Hecubam atque Annæus Troada ſcripſit;
Hic Latiis, Græcis ſcripſit & Ille modis.
Tute Hecubam vertis, vertis Tu Troada; Opuſque
Eloquio Tuſce reddis utrumque pari.
Sic Hecubam dum Tu, dum Troada vertis, eodem
Tempore ſcis triplici cingere fronde caput:
Namque per Italiam reſonant tua carmina: Credit
Teque ſuum Latium, Græcia teque ſuum.

ELEGIA.

Dicta Tybure in Arcadum Cœtu Coloniæ Sybillinæ Anno 1727.

Vitiferos colles, gelidumque reviſere Tybur,
Fatidicæque juvat tecta ſubire Deæ.
Blanda loci facies, genialibus aptaque Muſis;
Carminibus certè ſemper amica meis.
Salve dulce ſolum, placidi ſalvete receſſus,
Quæque ſonans alto decidis unda jugo.
Hìc primum innocuis aptavi labra cicutis,
Et tetigi pavidâ ſiſtra canora manu.
Hic mihi jam dudum data nomina prima Poetę:
Hic manibus Laurus tradita prima meis.
Vix adoleſcentem melior me fecerat ætas,
Cumque ætate ipſum creverat ingenium,

Tunc,

Tunc, memini, veſtros conceſſum aſcendere colles,
Dum feror Albuneum certus adire nemus;
Sed Nemoris reperi veſtigia nulla vetuſti;
Sola facit Vitis, ſola & Oliva nemus.
Dum vagor, & ſæcli ſtupeo monimenta prioris;
Deciduiſque ſacer me tenet amnis aquis,
Ingenuâ Caſtæ nil conceſſura Dianæ
Spectandam formâ ſe mihi Nympha dedit.
Nuda pedes, velata humeros, diſcincta capillos,
Suſtinet hinc veſtes, inde volumen habet.
Talis erat qualem Albuneam decet eſſe Sibyllam,
Qualitèr & libris pingitur illa ſacris:
Si vis eſſe aliquid, ſi nomen habere Poetæ,
Artes mitte alias, meque ſequaris, ait.
Dixit, & implicitam propriæ mihi Nympha ſiniſtræ
Arripuit dextram, movit & ante pedes;
Deſcenditque parùm; mox ſubſtitit; atque ita Vates
Tutiùs hinc, illinc ſæpe docebat iter.
Ipſe tremens, taciteſque exeſa per antra ſequebar;
Jamque nihil cari luminis antra dabant.
Sola cavernoſæ reſonans penetralia ſedis
Percutit, ingeminatque unda refuſa metum.
Dumque ultro gradimur, tandem ſonus ipſe quievit,
Nilque audire mihi, nilque videre datum.
Quis mihi tunc animus, cum per declivia nuſquam
Saltem uno poſſem vix bene ſtare pede?
Littora tunc Cumarum, animoque Sibylla Maronis
Troſque Anchiſiades, parque recurſat iter.
Jamque parabam artes, nomenque odiſſe Poetæ,
Cum brevis à longè viſus adeſſe focus.
Interea fædo nares contingit odore,
Qui gravis obſcæno fumus ab igne venit.
Obſtupui, ſteteruntque comæ; tunc orſa Sibylla eſt;
Nec tamen inceptam deſiit ire viam.

Ne timeas : quæcumque vides ; quæcumque videbis ,
  Naturæ parent legibus iſta bonis .
Non ſtygis hic ignis , non hic domus horrida Ditis ;
  Sulfureas ſcito Te ſubiiſſe plagas .
Namque olim ad vocis ſonitum cum prodiit Orbis ,
  Et petiere ſuum juſſa elementa locum .
Sulfur ut implexum , parteſque volatile in omnes ,
  Omnia poſſedit corpora tranſiliens ;
Subſtitit at demum , atque locum concrevit in unum ,
  Fervet ibi , & fervens undique terra tegit .
Sæpe tamen motu ſic efferveſcit , ut intus
  Non poſſit clauſtris ſe retinere ſuis .
Exit in exitium Populis , cumque Urbibus olim
  Territat infauſto ſquallida regna foco .
Teſtis Campanæ , Siculæ Mons teſtis Arenę ,
  Qui flammas toties iſte , vel ille vomit .
Aſpice quin etiam terris ut fluctuet iſtis
  Plurima ſulphureis Inſula nata vadis .
Albet ager circum , canentque bitumine ſaxa ,
  Ipſaque ſulphureis Albula fumat aquis .
Heic habito , vetereſque artes incognita Mundo
  Exercere inter ſulphura noſtra juvat .
Hinc didici ſęclis prædicere fata futuris ,
  Hincque Sibyllinis carmina ſcripta libris .
Sulphure nam noſtro quid quæſo potentius ? aut quid
  Utilius veſtris uſibus eſſe poteſt ?
Sulphure Terra viget , vegetant & Sulphure plantæ ,
  Sulphur habent lapides , brutaque Sulphur habent .
Sulphur in Oceano coaleſcit , in aere Sulphur ;
  Ipſa hominum arcano Sulphure vita calet .
Hinc vigor eſt membris , hinc vis eſt vivida menti ,
  Hinc & vividus redditur ingenium .
Tu quoque ſulphureis mergaris oportet in undis ,
  Si veri cupias Vatis habere decus .

Dixit ,

Dixit, & extemplo me tunc nil tale verentem
Sulphureo merſit terque, quaterque lacu.
Sulphur erant veſtes, facies erat undique Sulphur,
Guttur erat Sulphur, vox quoque Sulphur erat.
Urebar; ſed ſenſim aliam deſumere vitam
Viſus, & ingenium viſus habere novum.
Tunc demum arripuit, ſuperaſque emiſit in auras,
Et totum gelidis provida merſit aquis.
Tradidit & calamos, ſiſtrumque Sibylla canorum;
Mox ait: auſpiciis perge, Poeta, bonis.
Sulphur abit; ſed adhuc illa bene natus in ora
Vivificans urit pectora noſtra calor.
Hinc mea dum recito redoleſcunt carmina Sulphur,
Sulphur & eſt noſtro quidquid ab ore venit.
Sulphureum Tu, quiſquis ades, ne ſperne Poetam;
Nec bona fatidicæ munera ſperne Deæ.

AD OTTENUM P. A.

PArvula credideris, ſi ſpectes Munera: Dantis
Si ſpectes animum, maxima credideris.

AD ARCADAS.

IN FUNERE ALPHESIBOEI CARII

Arcadiæ Cuſtodis Generalis.

Cum Auctor Generalis ejuſdem Arcadiæ Procuſtodis munere fungeretur.

SI Pietas; ſi Patris amor, ſi danda labori
Præmia, ſi noſtris dudum venerabile ſylvis
Cuſtodis nomen: ſi quid benefacta merentur:
Hùc calamos, hùc ferte lyras, hùc triſtia flentes

Carmi-

Carmina : lugubres hùc circumferte coronas ,
Arcades , extremumque vale , extremumque Parenti,
Hoc colitis quicumque nemus , concedite honorem ,
En Ego Vos præeo, laurique has undique dextrâ
Spargere jam frondes , jam dicere carmina mæſtis
Aggredior numeris eheu , dicturus , & eheu !
Arcadia infelix ! heu quo fugis Optime Cuſtos ?
Vos mea ferali repetentes carmina voce
Eheu ! Clamantes , Eheu! ter dicite , & Eheu!
Arcadia infelix! heu quo fugis optime Cuſtos ?
Et violis tumulum , nigrâque onerate cupreſſu .
Mox ubi ſint perfecta atræ funebria Pompæ
Munera ; perpetuo , quo ſit celebrandus honore ,
Quæretur Cuſtos ; quæ debita pompa quotannis .
Utque illi quernam hanc pro tempore fecimus Urnam ,
Ipſi marmoreum ſtatuemus deinde ſepulcrum ,
Atque hæc pauca ſacro addemus præconia ſaxo .
Hic jacet Arcadiæ , Suprema Potentia , Cuſtos :
Alpheſibœus erat nomen ; *ſcit cœtera mundus.*

De Regia , ac præclariſſima
URBE NEAPOLI.
ELEGIA.

Vidimus Euboicis habitatam Gentibus oram ,
Sedimus & dulci littore Parthenopes .
Hæret adhuc menti viſorum forma locorum ;
Urbis & aſpectus Principis hæret adhuc .
O vere terrâ ex omni Campania felix !
O tali dignum nomine dulce ſolum !
Quid fuit , Urbs ingens , tibi quod natura negaret ?
Quid fuit Ars quod non ingenioſa daret ?

Pla-

Planitiem hinc molles inter ſe ſternere clivos:
Hinc Mare tranquillis ludere cernis aquis.
Mille cient ſtrepitum tua circum compita currus:
Mille fremunt tacitè per vada ſalſa rates.
Divitiis, armiſque potens, populoque frequenti
Tollis honoratum conſpicienda caput!
Hinc domibus fulges, fulges hinc undique Templis,
Vaſta fora, ingentes ſternis & ampla vias.
Per fora, perque vias annonâ ſemper abundas;
Semper & annonâ pinguis abundat ager.
Pingue ſolum, miroſque ignes, atque aera blandum,
Una ſalutiferas Ipſaque gignis aquas.
In te Jura vigent: Ars in te vivida Belli;
Atque Eadem pulcræ commoda pacis amas.
Nobilibus profers ſpectacula ſæpe theatris;
Sæpe & lætitiæ publica ſigna paras.
Artibus ingenuis alis irrequieta magiſtros;
Plura aperis Muſis, plura Lycœa Sophis.
Natorum reſonant inſignia facta tuorum;
Dextera ſive Illos, ſeu probet Ingenium.
Ingeniis quot jure tumes! quot tempore in omni
Et Phœbo, & Muſis viſa dediſſe viros!
Statius ille tuus, tuus, & Juvenalis, & ipſi
Pelignus teſtes, & Venuſinus olor.
Mox & Pontani radiantia sydera; mox &
Synceri æternum retia pandis opus.
Divinum Taſſus, nomen geniale Marinus,
Nonne tibi æternum promeruere decus?
Hinc & Parthenius legitur, Conſtantius inde;
Adde his Tanſillum Vatibus, adde Rotam.
Ipſe ego quot nuper tua circum litora vidi!
Quum tua quam plures educet ora tamen.
En Tu macte ab avis magnum venis Auria nomen,
A' ſcriptis nomen majus adepte tuis.

Tu-

Tuque ſacro Auſoniæ Marcheſi clare cothurno;
Quique vacas ſtudiis Philamarine ſacris.
Quique tot Eoæ calles idiomata Gentis
Garophile, & cultis cognite Roſſe modis.
Tuque ſacer Themidi, ſacer & Panſute Matheſi;
Fuſce & Tu: Clario carus uterque Deo.
Nec Te prætercam Vatum decus, optime Quinzi,
Cui tantum debet nominis Inarime.
Nec Te adeo noſtros non ultimus inter amicos,
Laus ò Romani, Docte Riozze, fori.
Carrafam & quamvis, quamvis vidiſſe Caputum
Fas mihi non fuerit, præteriiſſe nefas.
Præteriiſſe nefas & Te, Grimalde, canentem
Quem patrio quamvis littore, Roma dolet.
Vivite felices noſtri certiſſima ſæcli
Gloria, Pieridum nomina ſacra choro.
Vivite: ſic vobis faveat vetus umbra Maronis,
Synceri faveat nec minus umbra recens.
Nomen ab his Ducibus natum eſt; exemplar ab illis,
Et decus Arcadiæ provenit omne meæ.
Arcadiæ memores eſte, ò Gens inclyta, Veſtræ;
Veſtri ero, dum vivam, vel procul ipſe, memor.

AD PETRUM ALOYSIUM STROZZIUM.

Ex Forani Principibus, & Balneoli Ducibus:

EPISTOLA.

QUæ ſtudia, aut qui Te deceant, Strozzi optime, mores
Mox cum vita tibi laribus ducenda paternis,
Ingenuè, quoniam mea poſcis carmina, dicam.
Prima tibi Pietas ſit cordi: ſcilicet omnia
Hinc pendent, nil non & habet qui poſſidet illam.
Otia

Otia vitabis : ſunt otia certa malorum
Semina ; nec quidquam metuendum forte juventæ
Pejus erit : fugjenda acri ſunt hæc tibi curà .
Quod facilè ut tibi contingat , ne ſit grave primam
Protrahere ætatem inter docta volumina ; nempe
Hoc proprium eſt ſtudiis , primò ut videantur acutis
Omnia ſenta rubis ; mox quando adoleverit uſus ,
Aſpera decreſcunt, ſuccedunt dulcia, ſicque
Paulatim aſſueſcit grato mens noſtra labori ,
Naſcitur & multo ex ſudore ars pulcra ſciendi .
Sed non omnis erit callenda ſcientia , nec Te
Singula diſcendi capiat maleſana libido .
Ingenium quamvis tibi fertile ; non tamen omnis
Omnia fert tellus ; non omnia poſſumus omnes .
Elige de multis tibi quodque arrideat unum ,
Cujus nec Te pœniteat gravioribus annis ,
Atque huic Te ſtudio totum mox trade ; ſed illud
Curandum in primis tibi ; quando Eccleſia magnis
Te vocat auſpiciis , ut libris quidquid habetur
Divinis non Te lateat ; libroſque per illos
Hùc illùc redeas , & conſule ſæpius omnes .
Sacra decent ſacros; Templique arcana, Deique
Diſcere non vanum Templique, Deique miniſtris.
Sed quoniam Themidis diverſa ad munera ſanctum,
Auguſtum aſcendes jam firmà ætate tribunal ,
Jura , vide , fuerint ſtudiorum magna tuorum
Portio , manſuramque illinc tibi quærito laudem .
Cætera mox ſummis te ſaltem attingere labris ,
Profuerit , poteriſque profundæ certa Matheſis
Dogmata delibare , atque irrequieta Sophorum
Litigia , & varias rerum cognoſcere cauſas .
Plurima dein ævo non ignoranda Tibi , quæ
Cognita ſunt noſtro , quæque evenere priori ;
Nec tamen hæc ubicumque legas , nec ſingula adopta

Cre-

Credulus, inſenſo nec ſingula rejice vultu.
Sit modus in rebus; doctè non omnia docti
Scripſere, & jurare nefas in verba Magiſtri.
Judicio, an poſſis alienis credere ſcriptis,
Tu perpende tuo: judex tutiſſimus hic eſt.
Sufficit ut reliquis non tantùm nomine notis,
Livius, atque Nepos, Cicero, & cum Cœſare Criſpus
Grandia ſermonis tibi dent exempla Latini.
Cum tamen intereà (quamvis nec dulcia ſæpe
Carmina, nec laudem debes tentare Poetę)
Sint Vates adeundi, atque illinc maxima morum
Cognitio, ac rerum pariatur lauta ſupellex.
Perlege propterea ſemel exemplaria Græca
Theocriti à calamis ad Homeri claſſica, donec
Grajugenùm dives ſpoliis ad noſtra reverſus
Littora, ſeu Latio libeat, ſeu carmine Thuſco
Dulcia perfectæ deguſtes dona Poeſis;
Atque ideo ſtudiis ceſſes ſi quando ſeveris,
In manibus Tibi ſemper erunt, tibi ſæpe terendi
Taſſus, Flaccus, Dantes, præcipuè Maro: ſummi
Delectant animum, dant & præcepta Poetæ,
Queis vitium fugias, queis virtutemque ſequaris.
Qui ſapiunt venerare viros, doctumque, probumque
Semper ama, ſemperque Tibi propone imitandum.
Nec tamen indocti tibi prorſus deſpiciendi;
Scilicet illorum numerus ſemperque, & ubique
Prævalet; integris quandoque tacere diebus,
Et procul à cunctis opus iſtam ducere vitam,
Si tantùm doctis utique, fruique velimus.
Verum age ſunt aliqui, quos tu neque jungere doctis
Poſſis, neve rudes omnino dixeris; iſti
Sunt hi, qui ſalibus quædam inter ſeria mixtis
Immeritos captant populo plaudente cachinnos.
Semper ab his caveas, ſæpe hos vitare memento;

Sin

Sin aliter dum ridet Eques, dum ridet Ephœbus,
Ipſaque pone fores cum ſervo ancillula ridet,
Tu quoque ride : vel ſaltem ridere putet te ,
Ne tetrici imponat tibi turba dicacula nomen.
Nec tibi nocturnos auſim interdicere cœtus ,
Dummodo ſint Te haud indigni , tibi nec fugiendi,
Teque domum gnavus , certâque receperis horâ .
Sunt quædam, quæ pauca juvent , quæ plurima lædant.
Ergo tuis quoniam invaluit mos iſte diebus ,
Romanaſque Nurus , Matronarumque potentum
Limina cautus adi ; ſed Tu, ſi luditur illic,
Lude parum : loquere interdum ; ſed honeſta, ſed apta ,
Quod veniente ætate , uſuque docebere ; quodque
Rectiùs ut facias tecum meditabere quos Tu
Nunc habeas , olim quos ſis habiturus amicos .
Cuilibet & quamvis ab amicis ſępe timendum ,
Vos ò præcipuè noctuque , diuque cavete
Patricia de gente ſati ; Detractor , Adulter,
Mollis, Adulator , Paraſytus , Cantor , Aliptes,
Scurraque præterea, Fur, Leno perfidus , & qui-
Cumque poteſt vitio non inferiore notari
Vos petit in primis , vos decepturus honorat .
Temporis hinc jactura frequens , jactura bonorum,
Hinc morbi , hinc pulcræ ſpes intercæpta juventæ ,
Atque hinc fœta malis longæva ſupervenit ætas .
Nil tibi cum genere hoc hominum , Nitidiſſime Strozzi,
Nil tibi cum pravis; ridebere forſitan ; illos
Tu ridere ſinas , ridebis tu quoque , tum cum
Plorabunt alii malè ductæ tempora vitæ .
Æquales Tu proinde tuos verſaberis inter ;
Sed Tibi qui fuerint æquales accipe : primùm
Æqualem generoſa poteſt tibi reddere Stirpis
Nobilitas , & opes , & honores , dein ſtudiorum ,
Doctrinę , ingenii , morumque ſimillimus ordo .

Hos

Hos tibi rere pares, reliquos te crede minores.
Sed non ut facie vulgi quemcumque ſeverâ
Deſpicias; metuendum odium, & contemptio vulgi;
Non ſpernendus amor; tibi regula proderit iſta.
Nec tumidè incedas, pedibus ſi forte feraris,
Nec ſedeas humeris diſtentus membra ſupinis,
Aurato tum cum veheris per compita curru.
Ultrò comis & eſto, ſalutatuſque ſaluta.
Pone ſupercilium, ſi quando accedere quivis
Cogitur inferior, mitiſque affare timentem.
Contrahe fronte cutem, ſi quis petulantior intrat;
Talis eris ſemper ſimul ut timearis, ameris;
Neve humilis nimiùm dicaris, neve ſuperbus.
Servorum, moneo, fugito ſuper omnia crebra
Colloquia, atque aurigarum commercia; crede
Atria nulla vacant culpis, & equilia nulla.
Largus in hos tamen eſſe velis; te plauſibus horum
Dignum reddiderit porrecta pecunia; quantum
Detrahis alloquio ſupplebit dextera, Tuque
Pauca jube, dociliſque jube: quod reſtat alendos
Curet equos Auriga, ſuâ regat arte quadrigas,
Eſſeda diſponat; cuſtodiat atria ſervus.
Nec multùm doleas mala dum conſortia vitas,
Inter neglectos ſi quis tibi naſcitur hoſtis.
Nonnumquam juvat hoc; aliquos namque eſſe neceſſe eſt,
Qui cupidè inſpiciant oculis tua facta malignis;
Illa tamen nequeant reprehendere; Si ſapis ergo,
Conſcius Ipſe tui tibi vivito; ſic & in omni
Te gere fortunâ, ſic moribus imbue, ut ipſe
Et probet, & laudet, nollet licet, hoſtis, & oh quam
Dulcior eſt laus perſpecto quæ venit ab hoſte!
Denique quidquid agas, ubicumque foriſque, domique
Certus agas, dubiuſque ſimul, præeatque ſeverum
Judicium, atque expende animo ſi proſit, an obſit.
Mox

Mox iter aggreſſus ventis da vela ſecundis,
Nec quavis reſonante undâ palleſce; quieto
Nec penitus te crede mari; verum inter utrum'que
Semper erit tibi dux audacia mixta timori;
Unde potens rerum Prudentia naſcitur; Ipſe
Virtutem hanc ſequere, atque hanc conſule ſepius unam.
Sed quid ego præcepta inter te demoror ultra?
Vive velut vivis, monitoribus utere quantum
Res ſibi poſcit; enim monitor Te nullus in orbe
Forſitan utilior Tibi. Mores perfice; mentem
Inſtrue; cum'que tuis creſcat virtutibus ætas.

IN EJUSDEM OBITUM.

Anno 1729.

NAtus eras naſcente Deo: ſurgente recumbis.
Prima tibi læta eſt: ultima læta dies.

SEPTEM SACRAMENTA.

BAPTISMUS.

QUæ Tibi naſcenti maculas abſterſerat unda,
Ut peragas puro ſingula corde, monet.

CONFIRMATIO.

MIles eras Chriſti ſolo Baptiſmate fortis;
Fortior adjecto Chriſmate Miles eris.

EUCHARISTIA.

COntrà ut ſtare queas triplicem imperterritus hoſtem,
Divinum, certus vincere, ſume Cibum.

POENITENTIA.

Quæ clàm peccaſti, ſacras ne differ in aures
Dicere. Quid ceſſas? ſic luis omne nefas.

EXTREMA UNCTIO.

Mors inſtat: ferat auxilium tibi rite Sacerdos,
Conferat & Vires hoc tibi Chriſma novas.

SACER ORDO.

Ordinibus variis Quicumque Altaribus adſtas;
Digna Miniſterio ſit tua Vita tuo.

MATRIMONIUM.

Nubere ſi cupias, promiſſis ſtare memento;
Promiſſam repetent Sponſa, Deuſque Fidem.

AD MELCHIORREM CARD. DE POLIGNAC

Galliarum Delphini Nativitatem

Splendidiſſima pompa Romæ celebrantem
Anno 1729.

CARMEN.

Dum canerent alii, tua dum præconia Princeps
Undique feſtivo reſonaret murmure Tybris;
Quondam Ego Parrhaſiæ non ultimus accola Sylvæ
Seposita ſolus; tacituſque in parte ſedebam:
Cum mihi ſe, qualis Tarpeja apparet in Arce,
Obtulit ærata ſplendens in caſſide Roma.

Agno-

Agnovi vultus, majeſtatemque verendam,
Et timui haſtatam, promptamque ad vulnera dextram.
Illa ferox bis, terque caput dimovit, & haſtam
Concutiens, ſcutumque ſonans quatiente ſiniſtra,
Vilis, ait, laudiſque tuæ, noſtrique decoris
Immemor, & nomen non impleture Poetæ;
Sic igitur, ſic dum fervet Latium omne canendi
Excitum ſtudio, dumque omnis Hetruria cantat,
Ipſe tuo veteres ſub pectore volvis avenas,
Ingratumque teris damnata per otia tempus?
Sume tubam, lauroque caput præcinctus honorâ
Me ſequere; hæc inter greſſus celerabat, & audax
Irrumpens quà turba frequens, me torva ſequentem
Proſpicit interdum, nec deſtitit ire, Theatrum
Donec Agonalis conceſſum viſere Circi.
Depoſitis tunc illa minis, galeamque repente
Pacificâ penitus removens à fronte, capillis
Pulchrior enituit caput exarmata ſolutis;
Impatienſque moræ: quis nam, quis denique, dixit,
Erigit oblitam nova per ſpectacula Romam?
Novi animos, mentemque, ævo quæ digna priori
Naſcier, & numerum natorum augere meorum.
Hæc mihi Scipiadæ, Pater hæc Auguſtus, & ille
Cui Socer imperium felicior Orbis ademit
Contulerunt, lætoſque olim fecere Quirites,
Solemnes ſi quando agerent per noſtra triumphos
Compita; devictoque Auſtro, aut Oriente redirent.
Aſpice diſtantes æquali limite metas,
Ingenteſque ſitas utraque ex parte columnas.
Artis opus miræ, triplex circumaſpice quo ſons
Eniteat cultu: priſcis quæ vina miniſtrent
Fontibus adjecti fontes, quæ mixta trophæis
Undique ſplendeſcant regalia ſtemmata; laurus
Multiplices inter quam plurima pendeat arcus,

Quotque parem luci reddant funalia noctem.
Adde tot hinc illinc educta incendia more
Fulminis, & tonitrus imitata tonitrua veros.
Adde Tubas, vexilla, atque arma, ac cætera belli
Signa, bonę dulces cedentia Pacis in uſus.
Quin & curſus equis ſtratus velocibus, & quæ
Tradita ſunt largâ victori præmia dextrâ;
Quin & magnifica decorata Palatia pompa;
Quin & deductæ ſpatioſa intra atria Muſæ,
Doctaque concentu recitata Poemata miro.
Omnia materiem prębeaent verſibus amplam.
Quantus honor ſacris, ſacra quæ ſpectacula templis,
Omnis purpureo cum Roma adſtante Senatu
Thura daret Superis, cœlumque in vota vocaret;
Dum procul interea Delphini comptior ortu
Regales circum exultaret Gallia Cunas!
Quam tibi carminibus ſegetem Vir præbeat unus,
Quotque tibi Unius præſtantia munere ſurgant
Argumenta vides; ſed tu modo cautior ibis,
Singula nec tentanda tibi; Super omnia mentem
Illius, ingeniumque ſagax, fandique peritum
Ah fugias cantare Animum; nimis ille camœnis
Acceptus: nimis Ille potens ad carmina; quodque
Certamen ſubeas tanto cum Vate, caveto.
Hæc mihi Roma, tuas dum fervida dicere Laudes.
Imperat, Ipſa eadem prohibet mihi dicere, Princeps;
Meque nova paſſim dum raptor imagine rerum,
Inter Agonalis Stupidum ſpectacula Circi
Deſeruit, populoque tacens immixta receſſit.

DE

DE NATALI DOMINI

PRO ARCADUM COETU.

Anno 1729.

ELEGIA.

Dulcia Virginei redeunt ſolemnia Partûs,
  Et redit ad numeros ruſtica muſa ſuos.
Quiſquis ades, ſeu Paſtor eris, ſeu Civis, & hoſpes,
  Noſtra libens audi carmina quiſquis ades.
Non ego nunc memorem primas ab origine cauſas,
  Quæque ſit antiquum pœna ſecuta ſcelus.
Non ego nunc Veterum monſtrata oracula Vatum
  Nec repetam verſus Docta Sibylla tuos.
Non Arabo dicam venientes littore reges,
  Nec nova miranti ſidera viſa polo.
Dira Palæſtini referam non juſſa Tyranni,
  Cœſa nec immiti membra tenella manu.
Magna retractabunt Magni argumenta Poetæ;
  Dum facilis noſtris mera terenda rotis.
Agreſtes mihi ſolus amor perquirere cœtus,
  Paſtorumque ſacras noſcere delicias.
Fallor? an ad celebres Jordanis venimus undas,
  Et pede calcatur Terra verenda meo?
Senſimus: inſolito quatiuntur viſcera motu,
  Divus & exagitans, carmina dictat Amor.
Novimus: Hæc Bethlem ſunt diruta mœnia; David
  Non procul hinc ſolitus ducere Paſtor oves,
Scilicet hæc fuerat venturo debita regi
  Patria, qui totum Paſtor ovile regat.

O amor ! ò noſtrum pietas ! hoc nempe ſub antro
Naſceris æterni Gnate timende Patris !
Naſceris, atque humiles primùm dignatus avenas,
Quod fueris noſtra ſimplicitate doces.
Gratulor, ò miti gens acceptiſſima cœlo,
Simplex Paſtores, innocuumque genus;
Pergite, nequaquam noctu vigilaſſe pigebit;
Pergite, quà radiis lux nova ſignat iter,
Ite, replete bonis ſactum concentibus antrum;
Aliger excipiet carmina veſtra chorus.
Felices animæ, queis munera prima daturis
Infanti teſtes contigit eſſe Deo.
Credite: Vos veterum manes mirantur avorum,
Ardet & innocua quilibet inviдiâ.
Si detur, coram Hoc plorans adſtaverit Adam,
Conjugis & lacrymis junxerit Eva ſuas.
Si detur, feſtinus Abram cum ſupplice Sara,
Cum Sponſo veniet pulchra Rebecca ſuo.
Atque iterum antiqui miracula prodet amoris
Prompta mori Soboles, promptus ad arma Pater.
Si detur, geminâ ſeſe cum Conjuge Jacob
Huc ferat, & Puerum pronus adoret Avus.
Circumſtent Nati, circumſtet turba Nepotum,
Offerat & Domino munera quiſque ſuo.
Voce ſenex tremulâ ſingultus inter, & inter
Dulces, quæ læto ex ore cadent, lacrymę,
Venit Io dicet, venit, mihi credite, Tempus:
Prodiit ex Tribubus Stella coruſca meis.
Hic Puer, hic Deus eſt; regem cognoſcite veſtrum:
Ite, alacres plenâ ferte tributa manu.
Ite. Moras quid lentus adhuc innectis, Iuda?
Sunt tua, ſunt Domino debita ſceptra tuo.
Sancte Senex, quemcumque vides, tua vota ſequetur,
Verbaque, fatidico quæ canis ore, canet.

Ec-

Ecce patent, ſæclo quæ clauſa fuere vetuſto ;
Solvere & antiquos Nox venit una dies .
Nunc clarum quas Arca Noe ſuper innatat undas :
Signaque , quæ certi fœderis Iris habet .
Nunc clarum Moſis quid præſignaverit Agnus ,
Qualiter innocuo flagret ab igne Rubus .
Cur madeat ſicca vellus mirabile terra ;
Deciduas cur mox areat inter aquas .
Fertiſſis en floret Jeſſæo ex Stipite virga ,
En parit Auctorem Virgo pudica ſuum .
Currite diviſæ nobis , jam currite Gentes ;
Omnibus , ambigitis ? fit Puer ille ſalus.
Humanum ſervare genus Puer ille laborat ;
Ah nimis humanum diligit ille genus !
Currite . Parce Senex ; Nimis , o nimis utor amore ;
Vos quoque Paſtores parcite plura ſequi.
Parcite ; Vagitus domus horrida , frigus , egeſtas
Ex oculis lacrymas elicuere meis .
Quiſquis ades noſtro lacrymas conjunge dolori ,
Noſtraque ne damnes carmina quiſquis ades .
Mens erat agreſtes tantum perquirere cœtus ,
Paſtorumque ſacras noſcere delicias .
Jam nimis ad cunas alieno percita cantu
Exceſſit numeros ruſtica Muſa ſuos .

AD PETRUM PAULUM BAJULIVUM MARCOLINI.

EPIGRAMMA.

ANtiquis utrum concedant Laude recentes ,
Carminibus quæris , docte Poeta , tuis.
Quærere jam parcas ; dubium namque omne remotum eſt,
Dum Satyræ ad leges dulciter Ipſe canis .
Tam bene , tam nitide canis Ipſe ; ut noſtra vetuſtis
Nil per Te invideant Ingenia Ingeniis.

PETRO METASTASIO

Caroli VI. Cæſaris Poetæ

Inter Arcadas Artino Coraſio.

In Germaniam Proficiſcenti Anno 1730.

PROPEMPTICON.

NOmine quem noras : quem Cæſaris ore vocaſti :
Quem dudum expectas, Germania, cerne Poetam.
Aſpicis ut præeant Tuſcę facto agmine Muſæ,
Thyrrenuſque illum tua denique Regna petentem,
Magna agitans animo propius comitetur Apollo ?
Hunc olim Aoniis puerum pavere ſub antris,
Moribus & blandis informavere Camœnæ,
Ingenteſque animos, & quæque ad grandia natum
Ingenium pulchras ſenſim excoluere per artes.
Ille iter ingreſſus, Vatum quà certa priorum
Calle parum noto vidit veſtigia, curſu
Fortiter arrepto, per confraga ſaxa, per altas
Sylvarum latebras ad aperta cacumina Pindi
Evaſit, fontiſque ſacri felicibus auſis
Ore bibit largo, muſis monſtrantibus, undas.
Inde vigor menti, promptæque in carmina vires,
Fortis & ille ſtylus, quo grandia facta recentes
Tranſtulit ad ſcenas, Heroumque inclyta cantu
Nomina perpetuæ victor ſcit tradere famæ;
Cum tamen & caſtos non neſciat inter amores
Ludere quandoque, Arcadicaſque acclinis ad umbras,
Dum Dryades adſtant, dum Pan ſtupet ipſe, probatque
Sylveſtres tenui moduletur arundine verſus.
Hic ille eſt Vates, quo tantum grata ſuperbit
Melpomene, quem ſæpe vocat, quem denique ſperat
Flectere Calliope, dum ſufficit arma, duceſque,

Supre-

Supremoſque ſibi, atque illi præſagit honores.
Præſtans naturâ, præſtantior arte Poeta;
O decus, ò ſæclo nomen memorabile noſtro,
Docte Metaſtaſi, jam te mæſtiſſimus Iſtro.
Invidet, heu, Tybris, dum Te Germania noſtræ
Eripit Italiæ; Triſtes tu lætus amicos
Deſeris: ah noſtræ memori ſi pectore quondam
Fœdus amicitiæ teneas, teneaſque precamur,
Inter Cæſareæ quos ipſe mereberis Aulæ
Ingentes plauſus, noſtris ſi forte camœnis
Mentem quandoque intendas, tibi tempore longo
Sat notum, ſtudiiſque tuum, genioque ſodalem,
Qui Te fidus amet, plauſus qui ſentiat illos,
Arcadiam, Tybrimque Tibi nutrire memento.
Interea noſtris quando contraria votis
Te tua fata vocant aliò, quâ gloria ducit
Perge viâ: Italiâ genitum Te, Candide Vates,
Conſilio, numeriſque proba, grandique cothurno
Te fultum oſtenta. Tibi quidquid Græcia quondam,
Quidquid Perſa potens, quidquid Romanus, & Afer
Clariùs egerunt dant argumenta; tuiſque
Verſibus immenſum promittit quiſque decorem.
Te tamen haud tantum delectet ſyrmatis ampli
Majeſtas, ut voce olim majore recuſes
Dicere Mœonio bella immortalia cantu.
Te Conſtantini, Te nomina ſacra Rodulphi
Invitant, ſignantque unà primordia Gentis
Auguſtæ: Jam ſume tubam, quam fronte ſerenâ,
Dum Tibi, dum lauro præludit læta futuræ,
Porrigit Italia; Auſtriacos evolvere faſtos
Incipe: quanta illinc tibi gloria naſcitur! Eja
Nil niſi Cæſareas reſonent tua carmina laudes:
Æternum obveniat tibi ſic à Cæſare nomen,
Et tua perpetuo vivat per Carmina CÆSAR.

AD

AD FRANCISCUM LELLI

Inter Arcades Nadiſtum Mantineum.

De Feſtiviſſimis ejus Apologis Elegiaco Carmine Adornatis.

HENDECASYLLABI.

DUm Paſſer memorabitur Catulli,
Dum notus fuerit Culex Maronis,
Dum Phædri Volucres, feræque vivent,
Linguæ non minimum decus Latinæ;
Feles, Simia, Capra, Equuſque vivent,
Quos tu carminibus canis venuſtis,
Lelli, carminibus potens Latinis,
Lelli, carminibus potens venuſtis.

SANCTISSIMO JESU CHRISTI DOMINI NOSTRI PRÆSEPI

Quod in Baſilica S. Mariæ Majoris de Urbe una cum Sacris ejuſdem Incunabulis religioſiſſimè colitur.

VOTUM.

A graviſſimo Morbo Anno 1731.

AEtis virus miſer heù maligni
Nactus immiti dabar eſca letho;
Nec licet ſolers tamen ars levamen
Repperit ullum.
Deficit ſenſus; Malè verba necto;
Quidquid, & vultu intueor gravato,
Nil mihi viſum, niſi lucis expers,
Squallor, & Umbra.

Jam-

Jamque brumalis revehit Decembris
Tempus en fauſtam geniale noctem,
Qua Deus vili recubans in antro,
Venit in Orbem.
Mente tunc templum, memini, Exquilinum,
Et procul quamvis, adeo verendas
Numinis Cunas, veneror ſacri & Præ-
ſepis honorem.
Dive, dicebam, Puer, oro vitam;
Si tamen mavis, moriar libenter;
Ut jubes, æquè mihi grata mors eſt,
Grataque vita.
Tuque, quæ noſtro coleris frequenter
Mater in Templo, precibuſque nunquam
Abnuis flecti: veniam petentis
Annue votis.
Proſit undenis ſemel, & peractis
Bis tuas annis famulari ad aras;
Proſit & magni cecinisse ſæpè
Gaudia Partûs.
Quid Fides verax, quid & Alma Mater
Non apud Natum valeat? Jubente
Mors Eâ falcem jacit & ſonantem
Prona pharetram.
Ecce ſub noctis medium beatæ
Excitor ſomno, nec ut ante febri
Uror ardenti, rediit ſerenæ
Mentis & uſus.
Obſtupet nati Genitrix ſaluti:
Obſtupent Fratres; Medica & vel Ipſi
Arte qui pollent manifeſta Cæli
Dona fatentur.
Jamque vi morbi penitus ſubacta
Sanitas vultu venit ecce pulchro,

Pri-

AD CAMILLUM S. R. E. CARD. CYBO Maſſæ, & Carrariæ Ducem,

De Villa ad Caſtrum Gandulphi ab ipſo magnificentiſſimè excitata.

CARMEN.

ENiteat quamvis regali ſplendida luxu,
Auſpiciis quam quiſque tuis miratur amænum
Gandulphi propter Caſtrum conſurgere Villam:
Et quamvis Dryades, quamvis & Naiades illam
Fontibus irriguis, plantiſque feracibus ornent:
Delitiis quamvis reliquas ditiſſima Villas
Provocet, atque ulli vix conceſſura triumphet;
Te tamen, ò Princeps dignam ne crede, ſatiſque
Ornatam ne rere; nihil ſtatuæque, nihilque
Proderit ad laudes perfecti denique Ruris,
Quod tibi tam largè Tua dat Carraria Marmor.
Reſtat adhuc, reſtat, quod Te melioribus orſis,
Quod Villam deceat, quod & his ſuperaddere Princeps,
Et potes, & debes etiam; niſi forte recuſes
Extremam conferre manum, villæque decori
Ni decus invideat Tua ſumma modeſtia ſummum.
  Dejice principio Fortunam, ignobile numen,
Mulciberumque, Jovemque, & Pana, & ſingula demum,
Quæ prius in girum juſſiſti ſurgere ſigna;
Atque his, Phœbeâ quæ ſtare jubebimus arte
Pande locum, Vatique tuo, Mitiſſime Princeps,
Quando audent noſtrę nunc primùm talia Muſæ,
Audaci permitte manu, poſſe omnia, quamvis
Phidiacas nil doctum artes, invertere, Ruſque
Arbitrio omne meo ſtatuis, nec jam ſine lege

Cir-

Circum ornare novis, veroſque effingere vultus,
Atque locum, numerumque aliâ diſponere formâ.
Ante fores ſummo ſculpatur fornice Fama,
Aſpectu quę grande Tuę lętiſſima Gentis
Stemma regat, monſtretque tuum mox indice Nomen.
Hoc ſatis ut quivis huc venerit, Advena, Civis,
Quo ſciat à cunctis locus iſte colendus honore,
Quidve queat tanto ſperare à nomine, quàmque
Debeat attento mirari ſingula vultu.
Oſtia jamque patent, princeps quà ſemita, primos
Moliar ornatus, varioſque hinc inde tuorum
Apponam titulos, Gentis decora alta Vetuſtæ
Mixta tuis, ductas acies, ingentia facta,
Poſſeſſaſque arces, & adeptos undique honores.
Hic faſces, illic trabeas, Oſtrumque decorum
Exponam, & ſummas, nec in una fronte Thyaras.
Sed propriora vocant; quà penſilis ora receſſus
Sternitur in molles, ſedeſque vagantibus offert,
Virtutes mihi cura tuas ſecernere; namque
Inferius quà tendit iter, ſtent Principis illæ,
Quæ deceant animos generoſo è ſanguine cretí,
Majeſtas, roburque animi, gravitaſque, decuſque,
Et Themis, & Virgo penitùs quæ neſcia fraudis,
Quæque regit mores Prudentia, quæque tumultus
Temperat internos, ac lætis triſtia miſcet.
Centum aliæ Romana olim quas Tempus in Urbe
Protulit Hæroum, quas Græcia tota fovebat.
Sanctior hinc niteat Virtutum Turba ſupernè,
Quæque tuos mores, & ſacro Principe dignos
Exhibeant certâ quæcumque in ſede locentur,
Relligio, Pietatis amor, Clementia, Zelus,
Mentis & integritas puræ, Probitaſque, Fideſque,
Et Pudor, & Candor, morumque immobilis ordo;
Quin & ſanctarum non vana peritia Legum,

Cogni-

Cognitio mox vera Dei, ſtudiumque ſacrorum,
Quæquæ docet ritus, vocem quæ cantibus aptat;
Denique ſupremis etiam quæcumque miniſtris.
Convenit Auguſtæ quos Cælum præficit Aræ.
Aſt ubi ſecretas aperit quandoque latebras
Natura ipſa loci, quarumdam forſitan abdam
Virtutum effigies, ſanctâ quas callidus arte
Occulis, & ſolo meriti contentus honore
Non ſinis, ò ſapiens! oculis luceſcere Vulgi.
Demum Conſpicuæ quà pars digniſſima Villæ
Proſpectu in ſummo ſinuatur grande Theatrum,
Geſtis quiſque ſuis, & majeſtate verendus
Hinc illinc, generoſa cohors circumſtet Avorum,
Clari omnes virtute, omnes ad grandia Nati,
Nomine magni omnes, omnes Te denique digni.
In medio mihi ſolus eris, Villamque tenebis.
Subtus erit Tempus, poſitis quod turpiter armis
Te coram fremat, & morti, invidiæque petenti
Nequicquam auxilium minitaberis Ipſe catenas.
Deſuper æterna textas tibi fronde coronas
Oſtendet, meritæque imponet Gloria fronti:
Tu modo nil tumidus, nil tanto elatus honore,
Ore gravis, mitiſque ſimul, Venerabilis oſtro,
Sorte ingens patriâ, propriis virtutibus auctus,
Sat grandis, majorque olim fortaſſe futurus,
Sculpte licet, de more opera ad regalia dextram
Munificus tendes, oculoſque ſub aſtra tenebis.
Multa quidem ſunt hæc; ſed & his quoque plura ſuperſunt
Queis Tu laudari; queis Villa augere decorem
Poſſet; at heu timeo quam cantu vidimus iſto
Turbari Faciem, propriâque rubeſcere laude.
Ah Muſis indulge aliquid; nam carus es illis;
Nam tibi ſunt illæ acceptæ; Vatemque parumper
Ne renuas tolerare tuum, torvoque tueri

Parce

Parce ſupercilio. Scimus, Vir Maxime, ſcimus,
Quàm tibi non placeant gratæ præconia famæ,
Quàmque Tibi videaris inops Virtutis, & uni
Mentem, animumque Polo dederis; ſed carmina contra
Niteris incaſſum, fruſtraque auferre laboras
Quod Tibi dat meritum: quod apertè quiſque fatetur:
Quod virtus, quod Roma probat, quod ſuſpicit Orbis.

VIOLANTIS BEATRICIS E' BAVARIA
Magnæ Hetruriæ Principis
EPITAPHIUM.

Regali genitam Boiorum è ſanguine, juſto
Subdita quam Dominam Florentia fovit amore,
Hoc jacet in tumulo VIOLANTES, Regia quondam
FERDINANDI Conjux. Pietas quænam foret illi:
Quod foret ingenium: quam prompta ad munera dextra:
Quam placidi Mores, ſcit Roma, Hetruria, Mundus.

AD JOANNEM FRANCISCUM ABBATEM ALBANI
Ex Suriani Principibus.
Philoſophicas Theſes in Rom. Semin. defendentem An. 1734.
EPIGRAMMA.

Tam benè, tam doctè, tamque aptè, tamque diſertè,
Ardua propugnas dogmata Ariſtotelis:
Admirans ut quiſque Tuo dum pendet ab ore,
Præcinat incœptis omina digna tuis.
Quid ſi, quos abdis, Juvenis Clariſſime, mores
Noſſet, & ingenuâ quis tibi fronte pudor?
Quid ſi, quanta Tibi jam nunc Prudentia noſſet?
Quid ſi, quanta Tibi, noſſet, ineſt Pietas?
Mirari tamen hęc deſiſtet, pluraque, Quiſquis
ALBANA' genitum Te ſciat eſſe Domo.

CUM INFOECUNDORUM COETUS

In Aventino eo ipſo in loco

Quo Arcades ante annos viginti convenire ſolebant, Publicam haberet Accademiam Anno 1735.

Quo tempore Author præcipuo Aſſeſſoris Munere in eodem Cœtu fungebatur.

CARMEN.

O Hominum, rerumque vices! Qui carmina quondam
[Teſtis adhuc præſens qui non mentitur Apollo]
Suggeſtu ex iſto gracili modulabar avena,
Nunc poſitis (variat quoniam fortuna) cicutis
Ad Latias iterum Muſas, ad amœna vireta
Collis Aventini notas prope Tybrid's undas
Poſt reſides annos, poſt otia longa revertor.
Salve cara mihi tellus, ſalvete receſſus,
Quò Paſtorales jam conceſſere camœnę,
Tuque aer, noſtras toties qui ſumere voces
Doctus ab oppoſita reddebas carmina Ripâ,
Si veterum tangit te rerum gloria, ſalve.
Tunc mihi ſubnigri vegetabant vertice crines,
Impatienſque moræ, viridi fretuſque juventa
Quemlibet audebam petere ad certamina, contra
Et ſtetimus primos, ingentia nomina, Vates.
Nunc cadit obducta rarus de fronte capillus,
Canaquæ primævo ſucceſſit bruma colori.
Quo vires abiere? abiit quo priſtina famę
Ambitio? heu noſtræ veſania cognita mentis!
Vix ulli vitanda tamen! quà lumina flecto
Materies mihi ſeſe offert ubicumque novarum
Quę ſpecimen rerum non expectata recludat.

H Pur-

Purpurei plerumque Patres, quos eminus illic
Audebam prono vix olim cernere vultu,
Nos coram ſolâ nunc fama, & nomine vivunt;
Illorumque loco mihi ſe dant ecce videndos,
Quos labor, & ſtudium, genus &, pietaſque, fideſque
Vexit ad humanæ faſtigia ſplendida ſortis.
Vertimur hinc alio, totoque ſedilia circo
Attentè circumſpicio, totque inter amicos
Heu memini plures jam deceſſiſſe, novoſque
Intueor vultus; qui tunc puerilitèr horas
Ducebant, firmæ nec obibant munera vocis,
Hic mea cum primùm reſonaret carmina Collis:
Jam Juvenes, jam pęne viri, me plurima certe
Pars horum ignorat, mihi nec niſi mota recenti
Concedet merito laudes, titulumque Poetæ.
Quin novus attonitas vocum mihi percutit aures,
Ignotuſque ſonus, Vetereſque hinc inde requiro
Nequidquam voces: Quò Fortiguerra receſſit?
Quo Lepidus Cigli? quò Leers? quò Zappius ille,
Qui tenuit captas mirâ dulcedine mentes?
Quo Guidus altiſonans? cultique Leonius oris?
Quemque tot extemplo proferre epigrammata noſtis
Gavonus? quo centum alii jam pulvis, & umbra?
Quò meus? ah lacrimis ſi forte iraſceris iſtis,
Barbarus es quicumque meos hoc tempore quęſtus
Arguis, & noſtræ violata ſilentia linguæ.
Quo meus, hęc toties cui plauſit ſylva canenti,
Fama recens, numeroque potens Gaſpartus in omni?
Ah liceat cari nomen mihi ſanguine juncti,
Ac dotes meminiſſe viri; quot ſcilicet ille
Erudiit veſtrùm Themidis pręcepta daturus,
Quotquot & hic cerno Vos vos ego poſcere Teſtes
Haud dubitem, ſic ut qui neſciat hic quoque diſcat
Quale illi ingenium, quę nam facundia, recti
Quan-

Quantus amor, pietaſque foret, candorque, pudorque,
Et placidi mores, & cæpto ſemper in omni
Una eadem ſeries, & conſtantiſſimus ordo.
Occubuit tamèn, atque iſtas moriturus in ulnas
Venit opem implorans (ſic Dii voluiſtis) iniquo
Perculſus fato, mequæ ætheris oſtia facrâ
Pandentem dextrâ momento fractus eodem,
Heu dolor heu pietas! ſtupidum, flentemque reliquit.
Parcat quiſquis adeſt, ſi fletus inter, & ægri
Funeſtas animi curas tentavimus aures
Uſque adeo veſtras, atque hujus amica diei
Gaudia polluimus privato publica luctu
Miſcentes. Jam me correptum turbine tali
Excitat, atque idem mihi quæ monſtravit Apollo
Nunc eadem vulgare jubet; Nam rupis in hujus
Quà ſpelunca ſinu, pleriſque ignota dehiſcit,
Nuper Ego, Phœbo me deducente, parentur
Proſpera quo nobis rerum præſagia, vidi.
Aſpice, dicebat Deus ille: Nigerrima Caci,
Si neſcis, domus iſta fuit, mox ordine verſo
Roma vetus, Geniuſque loci, quæ colle ſub iſto
Acciderint variis ſic expreſſere figuris.
Aſpice biſſenos atro de marmore fictos
Accipitres, Fratriſque Remum ſervire coactum
Augurio, Herculeos hac aſpice parte labores,
Efflantemque animam ignem inter, fumumque, Latronem.
Ipſe oculos circum volvens dum ſingula luſtro,
Argento ex ſolido fluitantes Tybridis undas,
Altricemque Lupam vidi, expoſitoſque Gemellos.
Tum cernendus erat ſumptis jam Romulus armis
Prima ſuæ gladio deſcribere mœnia Romæ.
Talia miranti, viden hoc? mihi ſubdit Apollo,
Ac ſimul interea candenti in pariete ſculptum
Innuit hoc ipſum, formoſior ore, theatrum.

Mox verbis fata involvens aperire futura
Incipit; at quis erit, qui Magno prodita Phœbo
Aut queat, aut audax oracula pandere tentet?
Hoc tamen hoc memini, quorundam nomina Vatum
Non ſemel ad Cytharæ numeros memoraſſe canoros.
Quin INFOECUNDOS repetebat lætus; & ipſe
Vocibus inſonuit crebro GENTILIUS illis;
Quodque mihi metam viſum pertingere honoris,
Firmabat quandoque ingens præſagia CLEMENS.

DE MORTE EUGENII

Principis à Sabaudia,

Inter Acclamatos Arcadiæ Paſtores

ERALGI HERMIONÆI.

EPIGRAMMA.

Occidit Eugenius; tumulum, Tu Maxime CÆSAR
  Extruis, Invicti qui tegat oſſa Ducis.
Munificum, gratumque olim te ſenſerat Ille;
  Priſtina ſed duplicas jam benefacta novis.
Grande decus fuit Ille tui; decus Ipſe rependis;
  Nilque ultrà moriens Ipſe quod optet habet.

AD ÆNEAM SYLVIUM PICCOLOMINEUM

SS. Domino ab Epiſtolis Latinis,

EPIGRAMMA.

Et Patria, & ſtudia, & mores, Nomenque, Genuſque
  ÆNEAN in Te reſtituere Tuum.
Quid vetat, ut ſummis Illum quoque paſſibus æques:
  Poſſit in ÆNEA rurſus & eſſe PIUS?

AD

AD JOSEPHUM HERCOLANI

Præfectum Plumbi, & V. S. Referendarium.

Inter Arcades NERALCUM.

EPIGRAMMA.

NOn ſatis ingenii monimenta perennia ſacri
Carminibus fuerat propoſuiſſe Tuis.
Addis ad hæc certę documenta inſueta Matheſis,
Quaque ſit arte ędes quæque ſtruenda, doces.
Utile ſic & opus proponis dulcitèr, ut jam
Miſcueras dulces utilitate modos.
Omne feres punctum, Scriptor doctiſſime; punctum,
Utile qui dulci miſcuit, omne tulit.

LEOPOLDO S. R. I. COMITI DE THYRAM,

Eccleſiarum Olomucenſis, & Wratislavienſis Canonico,

In Patriam redeunti.

ELEGIA.

SUme Lyràm: triſti reſonans Elegeja cantu;
Depoſitam longo tempore ſume lyram.
Ecce iterùm veri diſceſſum flemus amici,
Cogimur & mœſtâ promere voce, vale.
Scilicèt ad patrios remeas, Leopolde, penates,
Belliger auguſtis quâ fluit Iſter aquis.

Illic majorum monimenta ſuperba tuorum ,
  Et releges priſcæ ſplendida facta domûs ;
Ibis , & heu mœſtum mea me retinebit in Urbe
  Cura , ſequi greſſus non potuiſſe tuos .
Sed ſi fata negant , ut Te , Leopolde , ſequamur ,
  Mutuus abſentûm munera obibit amor .
Sæpè Tibi poterit vultus hic reddere noſtros ,
  Sępè mihi vultus reddet & iſte tuos .
Philoſophi hic dicam partes explebat acuti :
  Promebat veteres hic memor hiſtorias .
Hic arcana Dei ſtudio quæſita perenni ,
  Hic ſolitus Latii pandere jura Fori .
Aſtrorum hic numerum, curſumque, moraſque notabat,
  Artibus addictus doctâ Matheſi , tuis .
Cantibus hic , dicam , indulſit , cytharæque decoræ
  Aptavit faciles ſępius ille manus .
Atque hic magnorum reperebat carmina Vatum ;
  Vix illi quidquam , quod latuiſſet , erat.
Sic juvet innocuâ fata aſpera fallere fraude,
  Atquè aliquid nimiæ demere triſtitiæ .
Sic poterit nemo congreſſus tollere noſtros ,
  Et fueris præſens tempus in omne mihi .
Te mihi nam medio dum Sol procedit Olympo,
  Te referet curru dum fugat aſtra ſuo .
Et priùs ignotis agitata caloribus Arctos ,
  Aſpera eritque novo torrida Zona gelu ;
Jonium flavas produxerit æquor ariſtas ,
  Conſtiterit Siculi fluctus & ante freti ,
Quàm tuus è noſtro labatur pectore vultus ,
  Exciderint oculis quàm tua facta meis .
Ipſe ſed intereà noſtris avelleris ulnis !
  Ah modicum ſaltèm tempus abeſſe velis!
Ah precor accelerent optatam ſydera lucem ,
  Quæ mihi Te , quę me reſtituatque mihi .

Qui

Qui plauſus, qui cordis erunt tunc gaudia noſtri!
Qualia tunc noſtræ gaudia mentis erunt!
Fortunata dies, tantum quæ reddet amicum!
O mihi feſtivo carmine digna coli!
Illa dies noſtros poterit compeſcere luctus,
Et finem longis afferet illa malis.
Non ità Priamidem Butroti lætus in Urbe
Æneas Helenum vidit, & Andromachen.
Non ità dilectum eſt Pylades complexus Oreſtem,
Ereptum ſacris, Delia ſæva, tuis:
Quantum ego lætarer, reducis ſi tangere dextram,
Et detur vultu jam propiore frui.
Ipſe ſed intereà Latias jam deſeris arces!
Jamque nihil, reditùs ſpes niſi ſola, manet.
Ergò ne ſedarit plures ſpes una dolores?
Unica ſit quamvis, ſpes tamèn iſta placet.

AD AGATHINUM MARIAM REGGIO,

Ex Principibus Catenæ, Equitem Hieroroſolymitanum, & Eccleſiæ Syracuſanæ Archidiaconum,

Inter Arcadas LYLIBÆUM.

EPIGRAMMA.

NUpèr erant quatuor ſtabili concordia lege,
Junctaque conſtanti pectora amicitiâ.
Strozzius occubuit: Thyram nunc occidit: & jam,
Jam duo de quatuor nos, Agathine, ſumus.
Tu quoquè, qui doctis noſtrum lenire dolorem
Carminibus poſſes, degis, Amice, procul.

Ah redeas ; liceatque iterùm Te cernere , mores
Et tecum ingenuos , ingeniumque ſagax.
Ah redeas : Te noſter amór jam diligit unum,
In tres qui nupèr diſtribuendus erat.
Redde vices , Agathine ; Tuus me diligat unum,
In tres qui fuerat diſtribuendus , amor .

DE TRIBUS S. R. E. CARDINALIBUS, Autoris olim Condiſcipulis.

EPIGRAMMA.

MEcum nota Sophis didiciſti, Artemque Loquendi,
SPINELLE , Antiquis addite ſplendor Avis.
Attigimus pariter Fidei Myſteria noſtræ ,
SYNZENDORFE, tui Laus quoque magna Patris.
Jura meus Te , Meque unà Gaſparrius olim
Edocuit , Genti Par , AQUAVIVA , tuæ .
Paſtores nunc Vos populorum quilibet eſtis ,
Et ſacras Oſtro cingitis ecce comas .
Clara ortù , ſunt clara magis nunc nomina veſtra ;
Pauper ego , atque humilis ſum , velut ante fui .
Fortunata tamen ſtudiorum meta meorum ,
Forſitan & ſummis æquiparanda Bonis ;
Si quem disjuncti unanimi foviſtis Amore ,
Unanimi juncti nunc foveatis Ope !

AD PETRUM DE ROTUNDIS.

EPIGRAMMA.

GRandia in exiguo claudis præcepta Libello :
Pendeat unde Hominum certa Rotunde ſalus.
Aſt ea dum doctè , dum ſcribis Amice Latinè ,
Naſcitur è gemino jam Tibi Fonte decus.

AD

AD CLEMENTEM XII. P. M.

De reparato Conſtantini Arcu, & ejuſdem Simulacro in Lateranum translato imminente cum Turcis bello Anno 1737.

EPIGRAMMA.

Vidit ut ipſe ſuo ſe Conſtantinus in Arcu :
  Se Lateranenſes vidit ut ante fores :
Munere CLEMENTIS rurſus jam vivimus, inquit,
  Creſcit & auſpiciis Gloria noſtra ſuis.
De Byzantina quid non ſperabimus Urbe,
  Quæ miſera à noſtro nomine nomen habet ?
Eja age, Summe Parens, tibi nomina cedimus ultrò,
  Si fuerit manibus libera facta tuis.

AD ALCIDEM PHOENICIUM P. A.

EPIGRAMMA.

Haud fruſtrà Alcidæ decoraris nomine, dum tu
  Parrhaſium ingrederis, Paſtor amice, nemus.
Dicitur Alcides, queis jam tria Cerberus ora
  Fortis erat, forti perdomuiſſe manu.
Tu Græcam, Hebraeam, Linguamque, invicte, Latinam
  Diceris ingenio perdomuiſſe tuo.
Alcidem ſic te Arcadiae Gens tota ſalutat,
  Linguarum domitor, dum redis ipſe, trium.

CAR.

CARMEN.

Dictum in Infœcundorum Accademia.
Anno 1737.

TEmpus erat , memini , quo , nullo urgente, ſolebam
Carmina Parrhaſio lætus recitare Theatro ,
Et mea ſylveſtri præcinctus tempora Fronde
Viribus impatiens primis , fretuſque juventa
Poſcebam ſummos ultrò in certamina Vates.
Quò vetus ille ardor ? Quo virtus priſtina ? Læti
Præteriere dies ; Ego nunc vix lentus , & aegrè
Evocor ad pugnam ; nec me dulciſſima rerum
Gloria , nec ſtimulat nimis olim chara Poeſis .
Scilicet ætati ſua cuique eſt cura : ſenes nam
Longa per humanos Prudentia cognita caſus ,
Fortia facta Viros , Trochus , & Pila feſta Puellos ,
Carmina delectant Juvenes ; Haec debita jure
Verſibus eſt ætas . Ad nos , qui reſte Capillo
Vergimus in ſenium renuunt accedere Muſæ ,
Et refugit curas Genialis Apollo ſeniles .
Heù rerum ambages ! noſtræque miſerrima Vitæ
Annorum ſeries , & inevitabilis Ordo !
Decreſcunt animi , curiſque hinc indè moleſtis
Angimur heu fruſtrà ! ſtudiis dum ignobilis otj
Florentes , noni gemimus ſub pondere Luſtri .
Sæpè revolventem malè ductæ prima Juventæ
Tempora , Phœbæa tulerim quæ præmia ab arte
Dum repeto , invadit ſtupor , iraque ; nempè recordor,
Quod ſemel aurato binæ mihi carcere clauſæ
Perdices miſſæ , & Bellaria tradita quædam ;
Quin & Mexiacæ, donum memorabile ! maſſæ
Percepi inſigni globulos pro carmine centum .

Poſt

Poſt hæc nil habui ; nec plauſus præter , & euge
Conceſſit quidquam nomen ſublime Poetæ.
Et tamèn , heù memori cupienda oblivia menti !
Quos non laudavi ! quibus oh non ipſe peperci ,
Crimina dum taceo, dum, quæ mediocria , tollo !
Quot , ſi fata datent , venturo tempore vivent
Carminibus fortaſsè meis , qui nocte gravandi
Æternâ nullis potuiſſent linquere nomen
Artibus , & propriæ vidiſſent funera famæ ?
  Parce , meas ſi fortè putes , Emalde , querelas
Illius , Vir culte , in probrum vertier artis ,
Hactenus egregio quam Tu laudaveris ore ,
Eloquio redimiſque tuo ; nec Tu tibi plaude
Quiſquis es , agreſti qui aliena Poemata vultu
Intuitus , quod non intelligis ipſe , ſevero
Damnas judicio ; nomenque , artemque Poetæ
Carpere non dubitas ; lance & perpendis iniquâ.
  Res miranda quidèm, res eſt divina Poeſis ;
Nec mihi , quod votis malè reſpondentia noſtris
Præmia tradiderit , minùs eſt tamèn illa colenda .
Cederet in melius , fateor , ſi jura ſequutus
Jurgia docta Fori , & clamoſa vocabula ſcirem .
Si tamen in primam mihi poſſe redire juventam ,
Atquè novam detur ſtudiis proponere metam ;
Non alias Ego malim artes addiſcere , quam quæ
Nobis à Pueris patuerunt munere Phœbi .
Ipſa ſibi eſt merces , merces ſe digna Poeſis;
Parva nec idcircò retuli quod præmia , culpa
Innocuæ tribuenda arti , quin tota neceſſe eſt
Noſtri ſit , egregiam malè qui tractavimus artem .
  Si Juvenis , ſi lætus adhùc : me nullus arena
Promptior eſſet in hac ; ſed & arguit alter , & alter,
Quod querar ante diem , ſenio paviduſque futuro
Detrectem recitare ultrà mea carmina ; Quia me

Exem-

Exemplo ſaltem nunquàm defeſſus, inerſque
Lellius incuſat; qui par ætate, mihique
Si renuat par eſſe, prior fortaſsè, ſecundis
Cantat adhùc Muſis Vatum plaudente coronâ.
Quidquid id eſt, ſileo; & quamvis haud farier auſim
Grande Sacramentum, nec juraturus ad aras
Nunquàm immutanda me adſtringam Lege, ſilebo.
Evocat Iſacidum me Gens hinc ſancta, jubetque
Ad numeros varium producere carmen Hetruſcos.
Indè Noe intermiſſi operis molimina monſtrat,
Diluviique undas memorat, Muſiſque Larinis
Devovet hoc tenue Ingenium; ſi prodeat olim
Quid vobis dignum hæc inter, veſtroque Theatro,
Tunc ego de ſpecula eggrediar, ruſuſque ſonora
Reddet Aventinus mea circum carmina voce.
Nunc, quando ſic fata volunt, ſic me monet ætas,
Sic decor ipſe jubet, ſic & mihi firma voluntas,
Collis amice, vale; valeant tua Numina tecum:
Quæque in Te nata eſt, in Te quoquè Gloria, mentis
Prima olim noſtræ, nunc ultima cura, quieſcat.

LEOPOLDO S. R. I. BARONI DE FIRMIAN,

Archiepiſcopo, & Principi Salisburgenſi, cum à Romana Apoſtolica Sede ob ipſius merita EXCELSI titulo donatus eſſet.

E L E G I A.

Plaude Salisburgi, Germania, plaude triumphis
Lætaque feſtivo concipe verba die.
Aſpice ut incedat Venerabilis aſpice Preſul,
Fulgeat & titulis auctus honore novis.
Nempe Quirinali Petri Succeſſor ab Arce
Ingens EXCELSI nomen habere dedit.

EX-

EXCELSUM venerare virum Germania, Tuque,
  Salſa Pater, reſonis labere dives aquis.
Virtutes adſtant circum denſo agmine centum,
  Et nomen celebrant, ô LEOPOLDE, Tuum,
Vultu hinc Relligio frontem velata decoro
  Propugnatorem grata ſtat ante ſuum;
Inde Fides vittis oculos pudibunda remotis
  Quot tibi debemus, dicere viſa, Pater!
Per Te qualis eram terris ſum talis in iſtis;
  Per Te Relligio quæ fuit, eſt & adhùc.
Auro non parcis, non parcis quippè labori,
  Hoſpitio tutus detur ut eſſe tuo.
Prælia magna novus Fidei jam indixerat error:
  Errori indicis prælia magna novo.
Exulat à tectis Erronum turba vetuſtis,
  Pellitur antiquâ fœmina, virque domo.
Migrantes aliò Provincia plorat agreſtes,
  Oppida plura dolent, mæret & omnis ager.
Tu vultu tamen immoto Tua cernere damna,
  Et potes invicta pollere monſtra manu.
Vim dextræ quacumque Tuæ ſenſere rebelles,
  Senſerunt animi Robur ubique Tui.
Decreſcunt populi, Princeps, Tibi gloria creſcit,
  Major & es meritis jam modò, quam fueras.
Perge ſacrum latè Populis oſtendere Zelum,
  Et munire Fidem Legibus uſque novis.
Roma Tibi titulos, ſignum Tibi donat Amoris,
  Quæ Tibi ſigna ſacri ſemper honoris erunt.
Sume novum, Præſul, non aſpernabile munus
  Splendoris: meritis convenit ille Tuis.
Perge ſacris olim meritis augere labores;
  Augebit titulos Roma vel ipſa Tuos.
Roma Tibi plaudit, plaudunt Germanica Regna,
  Plaudit & in toto, quâ patet Orbe, Fides.

AD FRANCISCUM ABBATEM VALESIUM.

EPISTOLA.

IRaſcor quandoquè Tibi, Franciſce; quod inter
Doctrinas Tibi tot notas, totque inter honeſtæ
Semina Virtutis, quæ mente, & pectore condis,
Ipſe tamen, ceu pauca ſcias, dum per fora quævis
Apta, & inepta ſimùl, docti, indoctique loquuntur,
Non loqueris, vix aut loqueris, plauſuque laboras,
Sat Tibi ſed notus, nil inclareſcere vulgi.
Hoc ego nec laudare velim, damnare nec auſim;
Quippè nec ignoto, talem ſibi poſſe parare
Contemptorem animum, propriæque obſiſtere laudi,
Ardua quam res ſit; patior nec amice libenter,
Debita quod doctis præconia ſubtrahat alter,
Et quod neglecto lateat tua nomine Virtus;
Cum Priſco haud tantum, Fabioque obſtare; ſed ipſos
Ermintos, & Eleophilos: doctoſque Nicetas
Dalgos, Gilaſcos, Lycophontes, atque Lealgos,
Arcadiæ decora, & clariſſima nomina, contra
Stare queas, nullique fores fortaſsè ſecundus.
Vilia deliteant; prodantur ſplendida; quique
Nil niſi vana ſciunt, taceant: qui docta, loquantur,
Hoc tamen hoc angit, quod Scurra ignobilis, audax
Fautores ubicumque ſuos habet omnis, eique
Arrident plenis populus, Proceresque cachinnis;
Vir probus, & doctus nulli placiturus, egenam
Cogitur abjecto vitam tolerare ſub antro,
Quæque canit ſanctos documenta decentia mores,
Ruricolis plerumque canit, ſylviſque, feriſque;
Uſque adeò laudata jacet, neglectaque Virtus!
Eja age quid Virtus, quid culta ſcientia fandi,
Cognitio quid ſacra Dei, quid docta Matheſis,

Re-

Regula quid morum , quid rerum ſcire vetuſta
Tempora , quid ſolers , nec vana peritia Legum ,
Cuncta quid hæc , multum quæ vel disjuncta valerent,
Ingenio poſſint cum conjunguntur in uno ,
Fac videat ; ſtupidoque omnis fac noverit ore
Ingenii monimenta tui ; plauſuſque frequentes
Immeritus qui captavit , te dicere coram
Audeat haud ultra quidquam ; quin Scurra protervus
Te timeat ſemper , ſemper fugiatque , tuoque
Exemplo tandem Virtutis probra doloſæ
Oderit , & veræ fateatur commoda laudis .

BACCHUS, SIVE PYRATÆ

Ex Homeri Hymnis.

PRoles vera Jovis , Semeles pulcherrima proles ,
Nunc mihi cantandus carmine Bacchus erit .
Dicitur hic olim maris atri in litore viſus ,
Litus ubi medias prominet inter aquas .
Illi forma fuit ; dulci adventante juventâ ,
Hactenus imberbis ceu ſolet eſſe puer .
Fortibus ex humeris roſeus dependet amictus ,
Ventilat & molles quælibet aura comas .
Ecce autem nigrum velox ſuper advenit æquor
Pyratarum ingens abiete clauſa manus .
Thyrrenis hi forte oris ſolvere ; ſed illos
Sæva hùc auſpiciis fata tulere malis .
Ut procul aſpiciunt , gaudere , ſibique viciſſim
Innuere , & litus quà via facta petunt .
Mox puerum circumveniunt , prædâque potiti
Navigio illam hylares impoſuere ſuo .
Hunc ſiquidem prolem perſtabant credere Regum ,
Quorum numquam non Juppiter auget opes .

Mox

Mox manibus capto nectebant vincula vinctis;
Vincula ſed vinctas deſtituere manus.
Deſtituunt at vincla pedes. Sedet ille nigellis
Subridens oculis, nec ſua damna timet.
Hæc ratis ut vidit Rector, quem tollere captum?
Cui Divûm ſtolidi vincla paratis? ait.
Cernite quam valido ſtet corpore; ſit bene quamvis
Structa ratis; pondus ſuſtinet ægra novum.
Juppiter aut hic eſt, aut eſt pharetratus Apollo,
Aut Deus undiſoni cui data ſceptra maris.
Non nitor ille quidem mortalia denotat ora;
Hæc ſuperos tantum forma, nitorque decet.
Quiſquis is eſt, mora nulla: ſuis reddatur arenis,
Atque hoc veſtra manus pura ſit à ſcelere.
Ah vereor, ventos, tempeſtateſque ſonoras
Suſcitet iratâ neu Deus iſte manu.
Dixerat; at contra Dux quem movet ira, ſecundos,
Dixit, habes ventos; ſit tuus iſte labor.
Infelix! diſpone ratem, da carbaſa ventis;
Hic autem noſtri meta laboris erit.
Spero vel in Cyprum veniet, vel ad oſtia Nili,
Aut ad Hyperboreos, longius aut etiam.
Tandem olim ſocios, fratres, ſuaque omnia pandet,
Sors quando in noſtras paſſa venire manus.
Hæc dicens, Navis malumque, & vela trahebat;
Turba operi intendit; velaque ventus agit.
Signa ſed extemplo patuere ingentia; navem
Ambroſio vinum replet odore nigram;
Et fluit, & refluit, flagrantemque afflat odorem,
Et videt, & ſtupet ad talia quiſquis adeſt.
Protinus en ſummâ veli de parte racemos
Explicuit Vitis prodigioſa ſuos.
Mox hederâ malus ſeſe veſtire, ſimulque
Floribus, & fructu malus opimus erat.

Qui-

Quilibet & ſcalmus, quo pendent ordine remi
Floruerat ſertis inde, vel inde novis.
Talia cum nautæ fieri ſibi monſtra viderent,
Rectorem unanimes ante ſtetere ratis.
Medcdes nomen: Mededen quiſque reponit,
Litoraque ut teneat proximiora monent.
Interea Leo nave atrox apparet in altâ,
Cœpit & horrendos ore ciere ſonos.
Nec ſatis; Urſa ferox pendentibus aſpera villis
Per mediam viſa eſt ire, redire ratem.
Torva tuens ſtetit ille; furens ſurrexerat illa,
Et pugnæ hinc, illinc ſigna dedere trucis.
Tunc pavor inceſſit nautas, tunc denique ſummà
E puppi caſus extimuere ſuos.
Rectoremque ratis mox, deſipientibus unus
Qui ſapuit reliquis, conveniunt ſtupidi.
At Leo continuò navem rugitibus implens,
Arripit, heu, miſerum, dilaceratque ducem.
Quod reliqui ut videre, necis fera fata propinquæ
Sollicitâ rati vincere poſſe fugâ,
In mare præcipiti ſe dant ſimul undique ſaltu,
Commotiſque illinc, hincque teguntur aquis.
Ecce ſed [horrendum viſu!] Delphines ab imis,
Nautæ qui fuerant, exiliere vadis.
Ipſe ſuperfuerat jam Rector & unicus: uni huic
Bacchus eum miſerans, vivere poſſe dedit:
Addidit & vitam faciunt quæcumque beatam;
Addidit ætatem, commoda, divitias.
Atque, animo confide meo, gratiſſime Rector;
Nam ſum Bacchus Ego, ſi modo quæris, ait,
Ille Ego ſum Bacchus, Semeles quem filia Cadmi
Ingenti peperit, progenuitque Jovi.
Salve nate Jovis, Semeles nate Inclyte ſalve.
Nemo poteſt Vates immemor ire tui.

LUSATIUS
ECLOGA.

Acta in Arcadum cœtu cum Poloniarum & Saxoniæ Princeps Fridericus Luſatii Argirei nomine inter Arcadiæ Paſtores acclamatus eſſet An. 1738.

Eriphylus, Miræus.

Colle ſuper, Veteris qui nomen ab æde Quirini
Traxit, in Exquilias recto quà tramite fertur,
Dum ſibi Miræus cantat ſua carmina, nuper
Eriphylum vidit, ſeque ut cognovit uterque
(Nam quæ de collo pendebat fiſtula utrique,
Prodidit illum iſti, ſimul iſtum prodidit Illi)
Arcadiæ, Miræus ait, quis te, bone Paſtor,
Fare mihi, advexit peregrinas Tybridis oras?
Quod nomen? quæ cauſa viæ? vocor, innuit Ille,
Eriphylus, magnuſque viæ LUSATIUS auctor.
O ſolo, tunc Alter ait, mihi nomine quondam
Note, libens ut Te recipit Miræus! & inter
Talia, læti ambo, lacrymatur uterque viciſſim.
Mox ut multa rogata ſimul, reſponſaque multa
Re ſuper Arcadicâ, ſermonis denique ſolus
Grande fuit cæpti LUSATIUS argumentum.
Convenere tamen, Puer ut quæ geſſerit ingens,
Ille recenſeret, præluderet Iſte futuris.
Arcades intereà venere hinc, inde frequentes,
Atque illos facta medios ſtatuere coronâ.
Venerat Epytides; & cum Dareclide ſeſe
Junxit Timoleon Alphæo: Auraſius illic,
Parelius, Varenus item, Lampyrius, & cum
Froſinio Selagus adeſt, unaque Berillus.
Incipit Eriphylus: meritum ſic poſcit, & ætas.

Eriph.

Eriph. Trans Rhenũ, atq; Alpes, fonteſq; binominis Iſtri
Vaſta jacet regio, cultis habitata colonis,
Terra Viris, armiſque frequens, quam mille potentes
Saxonicâ de gente Duces tenuere per annos;
Virtutum plaudente choro, LUSATIUS illic
Cæſareâ de MATRE ſatus, Puer inde Paterna
Regales inter curas adolevit in Aulâ,
Digna Patris ſoboles, Generis ſpes maxima tanti.
Cingite Pierides puerilia tempora myrto.
Virtutes, puero quæ jam plauſere recenti,
Virtutes Puerum mox excepere ſovendum.
Dotibus ingenii faciles conjungere mores,
Ire per ætates omnes, idiomata plura
Callere, & veterum memorare exordia rerum;
Munificâ donare manu, miſeroſque levare,
Et veram aſſiduis pietatem oſtendere factis,
Has Puer, has coluit, colit has LUSATIUS artes.
Dicite Paſtores feſtivum, Dicite carmen.
Qui mores hominum, varias qui conſpicit Urbes
Grande rudimentum vitæ capit ille futuræ.
Sic GENITOR, ſic fecit AVUS. LUSATIUS ecce
Magnum Iter aggreditur; Siculæ Syrenis ad oras
In ſua Nupturam deducens regna Sororem.
Mirantur Puerum paſſim Germanica Regna,
Littus & Adriacum, miratur & Appula Tellus:
Nunc ſtupet, & Pueri celebrat præconia Tybris.
Cingite Pierides puerilia tempora myrto,
Dicite feſtivum, Paſtores, dicite carmen.
Dixerat Eriphylus; ſequitur ſic protinus Alter.
Mir. Tybri pater, quot clara vides præſagia! quotque
Fauſta tibi eventura tuo ſpecularis ab antro,
Magnanimi dum facta PATRIS, dum mente verendæ
MATRIS honos, tibi dum LUSATIUS ipſe recurſat!
Ah tibi quot lacrymę, tibi quot ſuſpiria præſens

Turbabunt tempus! cum Te clariſſimus olim
Deſeret, heu, Juvenis, diverſoſque inclytus hoſpes
Inviſet populos, & plurima regna beabit!
  Cingite Pierides juvenilia tempora lauro.
Perge beare alios, mox cum luſtraveris orbem,
Nil jam laudis egens, tua Regna beare memento.
Virtutes aliæ revocant Te denique, Princeps,
Et reducem tectis expectat quæque paternis.
Recti illic ſincerus amor, Populoſque regendi
Norma tenax, caſuque omni Prudentia major
Jam tibi noſcendæ, ſtabili quas fœdere ſemper
Una reget Pietas, votorum meta tuorum.
  Dicite Paſtores, votivum dicite carmen.
Terra procul colitur, quœ paſſibus invia vulgi,
Inclyta ubi ſolio ſtat gloria nixa potenti.
Sola illùc Virtus, Labor, & Conſtantià ducunt.
Illìc Heroes genus acre ad grandia Natum,
Splendida perpetuæ traducunt tempora vitæ.
Hùc,PRINCEPS,Tibi PATRE viâ monſtrante, Juventus
Dum viget, advenies; meritiſque inſignis, & ora
Fulgidus, æterno felix in Monte ſedebis.
  Cingite Pierides juvenilia tempora lauro:
  Dicite votivum Paſtores, dicite carmen.
Talibus inter ſe certabant verſibus ambo;
Finierant nec dum: cum ſe LUSATIUS effert;
Veraque ut alloquio fecit præconia miti:
Eloquio ſic vera gravi præſagia fecit.

AD CLEMENTEM XII. P. O. M.

EPIGRAMMA.

Dictum in Aula Capitolina Anno 1739.
cum plaudente Arcadum cœtu,

*Præmia ingenuarum artium præſtantioribus
diſtribuerentur.*

MIratur paſſim tua facta ingentia, CLEMENS,
  Quiſquis adeſt Civis, quiſquis & Hoſpes adeſt.
Templa Deo ſtatuis; ſuperaddis & atria Templis,
  Juſtitiæque tuâ condis in æde domum.
Per Te tuta magis ſedet Urbs incendia contra,
  Callibus inflexa eſt, & minus illa ſuis.
Undas magnifico bibimus de fonte ſalubres;
  Et terimus greſſu commodiore vias.
Conſulit ætati quin & tua dextra priori,
  Priſcaque Tarpejâ marmora in arce locas;
Conſulit ætati quin & tua dextra futuræ,
  Artibus ingenuis & ſua dona paras.
Artifices ſic Tu ne deſint proſpicis Urbi:
  Urbis & ut nomen creſcat ubique, facis.
Plurima Roma tibi debet, jam Maxime CLEMENS;
  Sunt quæ debebit poſtmodo, plura tamen.

AD JOANNEM ALEXANDRUM S.R.E.
Cardinalem LYPSKI

Epiſcopum Kracovienſem.

EPIGRAMMA.

ET memini, quondam ſtudiis addictus iiſdem
  Tuque, & ego affini ſedit uterque loco.
Et memini, jam tum tua quid melioribus annis
  Mens actura foret ſplendida ſigna dabat.

Creviſti : & rata ſigna manent : Tecum tua crevit
Nam Virtus : crevit Gloria : crevit honos.
Hinc Tibi Sarmatici data ſumma negocia Regni,
Vallat & auguſtas Infula celſa comas.
Nec ſatis: en tandem Romano cingeris Oſtro;
Purpureos ſplendes inter & Ipſe Patres.
Sarmatiæ delata Tibi nunc Summa Tiara eſt;
Conſtanti tamen hanc reſpuis Ipſe Animo.
Ingens es meritis, ingens & honoribus, ac nil
Ulteriùs quò jam progredereris erat.
At cum LYPSKE, novos ſic aſpernaris honores,
Quà meritis creſcas, invenis ecce viam.

AD PETRUM S. R. E. CARDINALEM

DE TENCIN DE GUERIN

Archiepiſcopum Ebredunenſem.

EPIGRAMMA.

CUm Te purpureo tegeret de more galero,
PETRE, Quirinali ſummus in æde Parens:
Plerique ut dicunt, volitare per aera viſa eſt
RELLIGIO, quæ ſic dulciter orſa loqui.
Præmia TANCENIO, quæ nunc das, Optime CLEMENS,
Hæc FIDEI data ſint, Hæc data, crede mihi.

LU-

LUSATIO ARGIRÆO P. A. ACCLAMATO

Natalitio ejus die recurrente. Anno 1739

EPIGRAMMA

ARCADUM NOMINE.

ARcades innocuo Gens jam Tibi cognita cantû,
Et ſolita in Laudes ire redire tuas.
Natali dum quiſque die Tibi plaudere geſtit,
Ante tuos cuperet Grata venire oculos,
Et Tibi Lætitiæ daret ampla, ac debita ſigna,
Et Tibi non vanis plauderet Auguriis.
Inter Tot Proceres Oſtroque, auroque rigentes
Sed pellita Humeros Turba venire timet.
Intereà Votis pro Te Cœlum omne fatigat,
Quidquid & optandum credidit, Illa rogat.
Euge: Tuæ Princeps inter præconia Laudis,
Ne renuas ſimplex quæ Tibi poſcit Amor.

DE PROXIMO LUSATII ARGIRÆI P. A. ACCLAMATI

DISCESSU.

DEſeret heù noſtros jam jam LUSATIUS Agros,
Et repetet patrios Grandia Regna Lares.
Arcades: heù noſtros quis nam lenire dolores,
Quis poterit lacrymis impoſuiſſe modum?
Heù bona quot nobis rapiet Lux una! quis illi
Nam Pudor, Ingenium, Forma, Decus, Pietas?
Nec ſatis: Ille trahet tres, inclyta nomina, ſecum
Paſtores, nos & deſeret Eriphylus;

Euphylus, noſtræ vetus, ac nova Gloria ſylvæ,
Qui tenuit captos carmine dudum Animos.
Quin Leoſiletes, quin & Nomelius ipſe,
Arcas uterque iſtud linquet uterque Nemus.
Ite, quibus tantum tribuit Fortuna, fruique
Queis tanti coram Principis Ore licet.
Quiſque memor noſtrum longo ſit tempore; Veſtrum
Nos erimus longo tempore quiſque memor.
Omnibus at præſens fuerit LUSATIUS: Ille
Inter nos veri Teſſera Amoris erit.

E C L O G A.

Acta in Arcadum Cœtu ad Janiculum
Anno 1739.

CORAM LUSATIO ARGIRÆO P. A. ACCLAMATO.

Diphylus. *Diocles.*

Diph. FLuminea, Diocles, pariter decedere Ripa
Cogimur; aſſiduis creber tonat ignibus æter,
Ruticoliſque metum intentat, campiſque ruinam;
Dum nos à Fluvio teneros cum Matribus agnos
Conamur revocare, tuos Tu collige tauros,
Vicinumque unà greſſum tendamus ad antrum.
Diocl. Diphyle, quando jubes, tibi nos paremus,& ecce
Colligimus tauros, ſparſos dum colligis agnos.
Interea tuto dum nos degemus in antro,
Quando tibi faciles veniunt ad carmina Muſæ,
Carminibus poteris noſtrum lenire dolorem.
Namque fatebor enim, mea dum me Cloris amabat,
Omnia riſus erant; poſtquam nos illa reliquit,
Omnia

Omnia ſunt lacrymæ, & nobis ſunt omnia luctus.
Prome igitur calamos, ac ſi fugientis Amyntæ,
Aut Corydonis habes, noſtræque Amaryllidis ignes,
Carminibus percurre tuis; Quæ fiſtula noſtro
Dependet collo, Niſæ memorabit amores.

Diph. Num Diocles noſtris ſemper dicendus avenis,
Seù puer Idaliç Veneris, ſeù caſus Amyntæ?
Phyllidis aut lacrymæ, aut Pholoes ſuſpiria blandæ?
Vel quæ ſubtremulis hyalæ Tibi plaudat ocellis?
Vel quæ diſcinctis ludat Galatea Capillis?

Diocl. Numquid amare vetes? At quis non cedit amori?
Piſcis, Avis, Pecudes, quin venti, flumina, plantæ
Omnia ſemper amant; vis & ſi vera fateri,
Nos etiam primis & amare docemur ab annis,
Atque aliquid ſemper pueri, Juveneſque, Seneſque,
Seù ſit amor, ſeù ſit res inſtar amoris, amamus.

Diph. Quis neget? Inſani flammæ prohibentur amoris;
Non prohibetur amor. Sed jam ſucceſſimus antro.
Nos canere aggredimur; Diocles tu deindè ſequeris.
Carminibus noſtris hodie cum Tymbride Judex
Polycates fuerit; Judex nempe aptus uterque.
Utque ſcias quid amem, nam cogitur omnis amare,
Primum ego vicini repetam præconia montis;
Non minimus mons ille meos eſt inter amores.

Quis mihi clamoſas habitare ſuadeat Vrbes,
Si mihi Monte datur placidè latitare ſub illo?
Non illum ſtrepitus, non illum jurgia vulgi,
Non aulæ, non damna Fori, non prælia turbant.
Fons illic purus: puriſſimus aeris hauſtus;
Aſtraque ibi propius, propiuſque videmus Olympum.

Diocl. Quis mihi Terrarum peragrare ſuadeat Orbem,
Quum quidquid dare Terra poteſt, hæc Ripa miniſtret?
Hinc Mare conſpicimus, colles hinc, inde videmus
Littoreaſque unà, poſitaſque in Collibus Urbes.

Hic

Hic Segetes, hic herba viret, ſemperque renatis
Terra ferax pomis, & vitibus omnis abundat.
Diph. Dum redit Autumnus gregibus paſcentibus, ipſe
Clam virides ſubeo frutices, tacituſque reſido,
Atque ibi pennigeræ, ſeù retia tendere genti,
Seù ſoleo incautas viſco retinere volucres.
Quis mihi nunc aliud velit huic præponere Tempus?
Innocuas inter, vel quę mage grata voluptas?
Dioc. Veris ad adventum, vitulis per prata relictis,
Fluminis accedo, ſedeoque acclinis ad undas,
Atque ibi ſeù piſces juvat hamo fallere adunco,
Retibus, aut pecori bellum intentare natanti.
Audeat anne aliquis quidquam pręponere Veri?
Numne meis quidquam magis eſt optabile curis?
Diph. Brumalis cum ſævit hyems, Ego veſtibus utor
Villoſis, circumque mapalia noſtra frequento;
Illic dum ſolitę indulget pecus omne quieti,
Solliciti vigilantque canes, plaudente Theatro
Ad ſonitum lætæ pedibus ſaltamus avenę.
O plauſus! O magnorum bona munera Divum!
Dioc. Torrida cum venit malè grata caloribus æſtas,
Nudi humeros, nudique pedes, & pectora nudi,
Dum Cererem, & Bacchum per carmina feſta vocamus,
Mollibus in pratis aut ſaltu, aut corpora lucta
Exercere labor; poſt illos grata labores
Parta quies; ó grata quies! ò tempora læta!
Diph. Dulcia prętuleris dulci quę fercula melli?
Quid cera utilius? noctis fugat illa tenebras,
Splendet & ad tumulos, & ſacras ſplendet ad aras.
Munus utrumque tamen, nobis Apis una miniſtrat,
Et bona tot bonis, nobis tot commoda præſtat.
O vel in exiguis ſummi ars celebranda Magiſtri!
Dioc. Utilius Bombyce nihil fortaſſe repertum;
Naſcitur, & moritur, trahit & per mille labores

Ille dies, nitidumque vomit de pectore filum;
Unde puellaris crevit formę decus, unde
Indumenta ſibi contexunt ſplendida Cives.
Uſibus ò noſtris naturæ munera, & artis!
Diph. Fama canit, quod noſtra iterum LUSATIUS arva,
Regalique velit nemus hoc dignarier ore;
Si veniat, lętis Paſtorem vocibus ultrò
Excipere eſt animus: Mox illi carmina dicam;
Carmina cum dicam: ſumas, addam, Inclite Paſtor
Carmina, & hęc noſtri tibi pignus amoris habeto.
Dioc. Venerit in noſtros ſi mox LUSATIUS agros:
Ipſe legam violas, & candida lilia rubris
Mixta Roſis, quercuſque ſimul, lautique, virentes
Attexam frondes, occurenſque ovyius illi,
Euge, & Io ingeminans, hanc, Optime Paſtor, honoris,
Hanc dicam obſequii tibi pignus habeto coronam.
Diph. Deſine plura, puer, motę ſiluere procellę,
Clarius & ſummo procedit veſper Olympo.
Jam ſtabulum repetas; ſed non ſine munere [namque has
Do tibi fiſcellas] victor, ſeù victus abibis.
Symbolicis per te cingat ſua tempora ſertis:
Per nos carminibus ſeſe LUSATIUS ornet;
Ripa tibi placeat, placeat Ver, piſcis, & æſtas,
Et Bombycis opus; nobis Autumnus, hyemſque,
Et volucres, & collis, Apumque examina. Manes
Quiſque ſuos patimur, trahit & ſua quemque voluptas.

DEI-

DEIPARÆ VIRGINI
CARMEN,

Dictum Anno 1739. ſuper Aventinum in Infœcundorum Accademia, quæ B. Virginem ad Nives Patronam agnoſcit.

Cum Autor Aſſeſſoris Munere in eadem Accademia ſecundo fungeretur.

HUc age, Chriſtiadum ſpes inconcuſſa, Deique
Filia, Sponſa, Parens, & eodem tempore Virgo,
Immenſi Regina Orbis, quam ſuſpicit æher,
Quam terra ima colit, quam Tartarus ipſe veretur,
Hùc age: quando tuis ſupplex advolvitur aris
Europa, atque omnem Clemens in vota vocavit
Italiam; lacrymiſque madens, & crine ſoluto
Te quando Tua Roma vocat; quando undiquè ſurgunt
Ampla Tibi centum totam delubra per Urbem,
Mille Tibi aſſiduis fumant Altaria donis;
Læta precor faciliſque veni, dubiiſque potentem
Affer opem rebus, totque exorata labores
Auſpiciis compeſce Tuis, totque impia contra
Tentamenta Erebi, Divino armata flagello
Hùc ades, ò Bona Virgo, malis nos exime noſtris,
Et noſtris tandem miſerata allabere votis.
Scis etenim, ſcis Ipſa, novis expoſta periclis
Omnia quà dudùm jaceant perculſa ruinâ.
Omnia terror habet, furor omnia: Fulminat indè
Peſtis atrox, Hinc arma premunt; augentur ubiquè
Funera funeribus; latè fluit undiquè ſanguis:
Undiquè Mors errat, Luctus, dolor, ira, tumultus,
Pauperieſque, fameſque ſimul comitantur euntem.
Hùc age, Diva, Tuam jam Te modò quiſquis adorat,

Te

Te modò quiſquis amat, Quiſquis tibi thure miniſtrat,
Experiatur opem; fractis hinc mæſta ſagittis
Viribus uſa ſuis incaſſum, & falce repoſta
Hungariæ Regna, atquè Iſtrum Lybithina relinquens
Exulet; immani reſpirent deniquè luctù
Pannoniæ fines; Jamque Auſtria, & Itala Tellus,
Dediſcatque ſuos jam tota Europa timores.
Threjicias illinc ſterne, aut averte Phalanges,
Diva potens Cœli, inſtructiſque ſimillima Caſtris.
Ah cadat ille ferox, poſitiſque inglorius armis
Helleſpontiacas repetat fugitivus arenas,
Et Byzantinis nova propugnacula muris
Prædo Aſiæ inſtauret; vel ſi nos claſſe per æquor
Fortè petat, pugnaſque velit tentare marinas,
Effice disjectas agitet vis abdita Naves,
Omnis & Ægæis erret mala Claſſis in undis
Ludibrium ventis, tempeſtatumque rapina.
Quid non diva potes? Tibi ſe manus ampla malorum,
Se Tibi vis Erebi, vitiorumque agmen, & omnes
Tartareæ ſubdunt peſtes; Tu certa ſalutis
Anchora, Tu lapſis ſpes conſtantiſſima rebus
Diceris; Ah noſtros nequicquam haud aſpice fletus,
Nequicquam haud voces audi, & pia Vota ſecunda.
Auguror. Armorum, Læthique timore ſoluti
Ibimus, Exquilias mox mox facto agmine ſupra,
Templaque Virgineo Nivium candore, remotis
Splendida Principiis, noſtraque & marmore, & auro,
Exuviiſque ſacris jam dudum ætate ſuperba
Ingreſſi, ante Tuas Te Te venerabimur Aras,
Atque ibi quo deceat Grates referemus honore;
Dicemuſque Tuas manſuro carmine Laudes.
Scilicèt; ut quondam, Mundique ab origine prima,
Ante Anni, ſoliſque vices, ſummo Patre coram
Luſeris, & noſtrum ſecum fabricaveris Orbem.

Mox

Mox ut plena Deo, tota & pulcherrima ſola
Maternos ſine labe ſinus intraveris, atque ut
Plena Deo rursùs, rursùs ſine labe Tonantis
Edideris Prolem, Humanæ accerſita ſalutis
In partem, Generis Reparatrix Tu quoquè noſtri,
Deniquè Fœmineis ut adhùc circumdata membris
Liqueris has terras, nitidaſque invecta per auras
More Triumphantis, ſummi ad faſtigia Cœli
Veneris, æternamque Dei penetraveris aulam:
Atquè illic ſedeas Mundi Regina, Deique
Filia, Sponſa, Parens, & eodem tempore Virgo.
Te ſuperûm ſine fine cohors laudatque, colitque,
Te mortale Genus rebus conclamat in arctis,
Te vitâ expertes animæ. Tibi ſupplicat Orbis,
Mille Tibi titulos, Encomia mille miniſtrat.
Tu Rubus es Moyſis, Tu Fons ſignatus, & alba
Heliæ nubes. Te Turris eburnea, Teque
Jojadis vellus, Te non minus Iris, & Arca:
Te Sara, Te Rachel, Te Hyael, Te Judith, & Heſter,
Omnis Te mulier, Te quidquid pulchriùs actum eſt:
Omnes Te quondam præſignavere Figuræ.
Te quoquè in Exquiliis, Cœli venerabile Donum,
Extivæ expreſſere Nives; ut ſcilicet illas
Exteriùſque albas, albaſque intrinſecùs, atque
Fronte ab utraque, & parte albas ſpectamus ab omni,
Legibus Humanis non ſubdita, ſemper ubique
Candida ſic maculis Tu non offenderis ullis;
Utque Nives generantur aquis, atque ordine verſo
Mox Nivibus generantur aquæ; Sic Tu potuiſti
Patre Deo generata Deum generare Parentem.
Salve Hominum, Terræque Decus! ſalve addita Cœlo
Gloria; cunctarum Meta & pulcherrima rerum.
Salve iterùm; Terraſque Tuas, Tua Templa reviſe;
Et Tua pacato ſumas præconia Vultu.

F I N I S.

IN-

INDEX.

Arcadum, quorum in hiſce verſibus aliqua fit mentio: & Arcadicorum Nominum Interpretatio.

Achemenides. *P. Horatius Burgundius S. J. In Collegio Romano Mathematices Profeſſor.*

Acis. *Euſtachius Doctor Manfredi in Accademia Bononienſi Mathematices Profeſſor.*

Aemon. *F. Alexander Burgos Ord. Conv. in Archigymnaſio Romano olim Eloquentiæ, mox in Univerſitate Patavina Phyſices Profeſſor, ac demum Epiſcopus Catanenſis.*

Agenus. *P. Dominicus Falvo S. J.*

Ageſilus. *Franciſcus Abbas Clementi Romani Archigymnaſii à ſecretis, & Pontificii Sacelli Acholitus.*

Aglauro. *Fauſtina Maratti Zappi.*

Alarcus. *Jo. Joſeph Felix Marchio Orſi.*

Alaurus. *Bernardinus Eques Perfetti Poeta Laureatus.*

Alcides. *Proſper Abbas Petronius Arcadiæ Subcuſtos.*

Alcon. *P. Carolus De Aquino S. J. In Collegio Romano Humanioribus ſtudiis Præfectus.*

Alexis. *Joſeph Abbas Paolucci ex Arcadiæ Inſtitutoribus.*

Almaſpes. *Auguſtinus Spinula Reip. Genuenſis Senator.*

Alnanus. *Clemens XI. P. M.*

Alpagus. *D. Florianus Maria Amigoni Mon. Camald. Abbas Generalis.*

Alpheſibœus. *Jo. Marius Archipræsbiter Creſcimbeni Olim Generalis Arcadiæ Cuſtos.*

Alphæus. *P. Nicolaus Galeotti S. J. In Col. Rom. Rethorices Profeſſor.*

Alte-

Alterius. *Alexander Marchetti in Univerſitate Piſana Mathemathicarum Profeſſor.*

Amaranthus. *Hieronymus Gigli.*

Amyclas. *Michael Canonicus Brughueres In Rom. Archigym. Eloquentiæ Profeſſor, & Sacelli Pontificii Acolythus.*

Amyriſca. *Maria Caſimira Poloniarum Regina.*

Anycius. *Franciſcus Redi Magni Ducis Hetruriæ Archyater.*

Aretalgus. *Innocentius XIII. P. M.*

Aretes. *Joannes V. Luſitaniæ, & Algarbiarum Rex.*

Ariſtalgus. *Jo. Franciſcus Card. Barbadicus Epiſcopus Patavinus.*

Ariſtæus. *Antonius Maria Abbas Salvinus in Florentino Lycœo Græcarum Literarum Profeſſor.*

Aromindus. *Raymundus Abbas Gavotti Eques Hyeroſolimitanus.*

Armon. *Alexander Regius Poloniarum Princeps.*

Artinus. *Petrus Abbas Metaſtaſius Cæſaris Poeta.*

Aruns. *P. Jacobus Panici S. J. In Coll. Rom. Olim Eloq. mox Theologiæ Profeſſor, & Authoris in eadem Preceptor.*

Athelmus. *Ubertinus Marchio Landi Dorotheæ Parmenſium Ducis Cubiculo Præfectus.*

Atelles. *Carolus Emmanuel Ab Eſte Marchio Sanctæ Chriſtinæ, In Cæſaris Exercitu Mille Cataphractorum Equitum Dux.*

Auraſius. *Dominicus Abbas Minghelli.*

Automedon. *Marcellus Senator, & Marchio Malaſpina.*

Berillus. *Philippus Abbas Bellieri.*

Brennalius. *P. D. Io. Franciſcus Baldini Congregationis Somaſchæ, Indicis, & Rituum Conſultor, ac S. Officii Qualificator.*

Cadmites. *Thomas Advocatus Emaldi In Rom. Archigym. Juris Anteceſſor.*

Callimachus. *P. Thomas Ceva S. I.*

Cari-

Digitized by Google

Cariſtus. *Thomas Philippus Cardinalis ab Alſatia Archiep. Mechlinienſis Belgii Primas &c.*

Cloantus. *Io. Baptiſta Gamberucci Archiep. Amaſenus, Canonicus Baſilicæ Liberianæ, & Apoſt. Cæremoniarum Præfectus.*

Coralbus. *Pompejus Abbas Rinaldi Clementi XI. P.M. A cubiculo extra Muros.*

Corſildus. *Antonius Advocatus Coloretti.*

Crathæus. *Petrus Card. Ottbobonus S. R. E. Vicecancellarius, & Sacri Collegii Decanus olim Liberianæ Baſilicæ, nunc Lateranenſis Archipresbyter.*

Cratinus. *Jo. Abbas Sanctorius Clementis XII. Summi Pontificis Scutifer.*

Dalgus. *P. Bernardus à S. Willelmo in Domo S. Pantaleonis de Vrbe Schol. Piarum ſtudiis Præfectus.*

Dateclides *P. Mag. Jacobus Philippus Gatti in Vniverſitate Neapolitana Theologiæ Profeſſor.*

Dares. *Aloyſius Torrigiani Congregationis Immunitatis à Secretis.*

Didalmus. *D. Didacus Revillas Abbas Hieronymianus in Archigym. Romano Mathematices Profeſſor.*

Diocles. *Franciſcus Albertus Abbas Salvi.*

Diotimus. *Antonius Magliabechi Magni Ducis Hetruriæ Bibliothecarius.*

Dorindus. *Hieronymus Eques Odam.*

Dubenus. *P. Guido Grandi Abbas Camaldulenſis in Univ. Piſana Mathem. Profeſſor.*

Dyphilus. *Michael Angelus Abbas Petrocchi in Rom. Archigym. Juris Anteceſſor.*

Elbaſcus. *Antonius Canevarius, Arcadum Architectus.*

Eleophilus. *Petrus Moretti Canonicus Baſilicæ S. Mariæ Tranſtyberim Authoris olim in addiſcendis Humanioribus Litteris Condiſcipulus, nunc vero Lyturgicarum rerum clariſſimus Scriptor.*

Elmira. *Violantes Beatrix è Bavaria Magna Hetruriæ Princeps.*

Emarus. *Apoſtolus Zeno Cæſaris Hyſtoricus, & Poeta.*

Enotrus. *Vincentius Comes Piazza Antonii Parmenſium Ducis Cubiculo Præfectus.*

Epytides. *D. Philippus M. Pace Caſſinenſis S. Pauli Extrà Mœnia Urbis Abbas, Ipſiuſque Status Dominus.*

Eralgus. *Eugenius Princeps à Sabaudia Cæſareorum Exercituum Dux.*

Eraſtus. *Franciſcus Ab. Cavonus Innoc. XII. ab intimo ſacello.*

Ermintus. *Octavius Bayardi Lateranenſis Eccleſiæ Canonicus, & Protho. Apoſtolicus.*

Erylus. *Alexander Abbas Guidi Chryſtinæ Suecorum Reginæ Poeta.*

Ero. *Vincentius Viviani Magni Ducis Hetruriæ Mathematicus.*

Eriphylus. *Stephanus Pallavicini Poloniarum Regi, Saxoniæ Electori à Secretis, & à Conſiliis.*

Eubenus. *Io. Baptiſta Ricchcrius.*

Eucrates. *Henricus Card. De Noris Ord. Erem. S. Auguſtini.*

Eudoſſus. *P. Ubertinus Carrara S.J. Humaniorum Litterarum Studiis in Coll. Rom. Præfectus.*

Euganius. *Benedictus Canonicus Menzini in Rom. Archigym. Eloquentiæ Profeſſor, & Chriſtinæ Suecorum Reginæ Poeta.*

Eugildus. *Hyppolitus Comes de Rubeis à S. Secundo Camertium Epiſcopus.*

Euryalus. *Petrus Bonaventura Savini Epiſcopus Montis Alti.*

Eurindus. *Franciſcus Maria Advocatus Gaſparri Authoris Levir In Rom. Arch. Primarius Juris Profeſſor, & Capitolinæ Curiæ Prior Collateralis.*

Fa-

Fanetes. *Petrus Paulus Bayulivus Marcolini.*
Faunius. *Blaſius Abbas Garofolo.*
Felicius. *Dominicus Abbas Lazzarini In Univerſitate Patavina Humaniorum Litterarum Profeſſor.*
Fidalma. *Petronilla Paolini Marchioniſſa de Maximis.*
Froſinius. *Io. Baptiſta Abbas Donati.*
Galatus. *P. Franciſcus Grimaldi. In Rom. Coll. Olim Eloquentiæ : deinde Moralis Philoſophiæ Profeſſor.*
Gilaſcus. *P. Mag. Marianus Ruele S. Mariæ Transpontinæ Bibliothecarius.*
Hermes. *Gaſpar Card. de Carpineo plurium Summ. Pontificum Generalis Vicarius.*
Hyppodus. *Marcus Antonius Zondadarius Magnus Hyeroſolymitani Ordinis Magiſter.*
Jaſithæus. *Raphael Fabretti Vaticanæ Baſilicæ Canonicus, & Prælatus Domeſticus.*
Idalgus. *Carolus Thomas Card. de Tournon., ex Arcadiæ Inſtitutoribus.*
Idantes. *Alexander Card. Falconerius.*
Idaſius. *Franciſcus Carafa Pacecco Colubrani Princeps.*
Idmon. *Jo. Juſtinus Ciampini V. S. R.*
Iſmerides. *Annibal Dux Marcheſius.*
Ithaſpes. *Ferdinandus de Rubeis Baſilicæ Libertanæ Canonicus, & Archiepiſcopus Tharſenſis.*
Lacon. *Antonius Eques Caracci Corani Baro.*
Lampyrius. *Antonius Abbas Ripanti.*
Lealgus. *Hieronymus Doctor Melani.*
Leonildus. *Philippus Acciajoli Prothon. & Cam. Apoſt. Clericus*
Leoſiletes. *Ioſeph Gabbaleone Comes de Salmur. Friderici Poloniarum, & Saxoniæ Principis Honorarius Ephæbus, & Comitis de Vakerbarth ejuſdem Principis inſtitutioni Præfecti Nepos.*
Lerimus. *SS. D.N. Clemens XII. Pontifex Maximus.*
Lilybæus. *Agathinus Maria Reggio ex Principibus Catenæ*

 Eques

Eques Hieroſolymitanus, & Syracuſarum Archidiaconus.

Lindorus. *Laurentius Comes Magalotti.*

Lycidas. *Malateſta Strinati.*

Lycon. *Ludovicus Sergardi Fabricæ S.Petri Oeconomus.*

Lycophontes. *D. Antonius de Januario ex Principibus Ss. Martini Belfortis Dux.*

Lycus. *Philippus Bonaroti Senator, & Coſmi III. Magni Hetruriæ Ducis Auditor.*

Lyrenus. P. *Contuccius Contucci S. J. In Coll. Rom. Eloquentiæ Profeſſor.*

Lyſanias. *D. Nivardus del Riccio Abbas, & Procurator Generalis Ord. Ciſter. Ad Aquas Salvias.*

Lyſus. *Carolus Calcagninus Romanæ Rotæ Auditor, & Decanus.*

Luſatius. *Fridericus Chriſtianus Regius Poloniarum, & Electoralis Saxoniæ Princeps.*

Mœon. *D. Jo. Bapt. de Myro Ord: Caſſinenſis Abbas; Olim Bibliotb. Vaticanæ Cuſtos.*

Megildus P. *D. Antonius Maria de Lugo Congr. de Somaſcha In Coll. Clementino Humanior. Litter. Profeſſor.*

Mileſius. *Iuſtus Fontanini Archiepiſcopus Ancyranus.*

Myræus. *Author.*

Myrthenus. *Nicolaus Maria Advocatus de Fuſco.*

Nadiſtus. *Franciſcus Abbas Lelli.*

Neralcus. *Iöſeph Hercolani Præfectus Plumbi V. S. R., & Infæcundorum Accademiæ Princeps.*

Nicaſius. P. *Pompejus Alexander Berti Aſſiſtens Generalis Congr. Matris Dei.*

Nicetas P. *Carolus Noceti S. J. In Coll. Rom. Theolog. Profeſſor.*

Nidalmus *Nicolaus Fortiguerra Congr. de Propaganda Fide A' Secretis. & Infæcundorum Accademiæ Olim Princeps.*

Nidaſtes. *Gherardus ex Comitibus de Gherardeſca Metropolitanæ Florentinæ Canonicus.*

No-

Nomelius. P. *Guinibaldus Breinel S. J. Poloniarum, & Saxoniæ Principi Friderico Præceptor, & à Confeſſionibus.*

Nithilus. *Leo Strozzius ex Balneoli Ducibus V. S. R.*

Opheltes. *Laurentius Bellini In Accademia Piſana Anatomes Profeſſor.*

Oryldus. *Scipio Marchio Maffei.*

Othenus. *Hieronymus Comes de Ottonibus.*

Ottinius. *Julianus Sabbatini vel à S. Agata Schol. Piar. Epiſcopus Apolloniæ, & Mutinenſium Ducis, apud Cæſarem Rebus Gerundis Præpoſitus.*

Palæmon. *Sylvius Stampiglia, ex Arcadię Inſtitutoribus.*

Pandarus. *Canonicus Philippus D'Azon In Coll. de Propaganda Fide Eloquentiæ Profeſſor.*

Parelius. *Philippus Abbas Amadei.*

Phylacidas. *Franciſcus Laurentinus Arcadiæ Cuſtos Generalis.*

Phylaretes. *Thomas Maria Card. Ferrari Ord. Prædicatorum.*

Phylocles. *Leonardus Abbas Adami Biblioth. Imperialenſis Cuſtos.*

Polyarcus. *Annibal Card. Albanus S. R. E. Camerarius, & Vaticanæ Baſilicæ Archipresbyter.*

Polybus. *Vincentius Senator à Filicaja.*

Polychares. *Sebaſtianus Molino. N. V.*

Rovildus. *Camillus Card. Cybo Maſſæ, & Carrariæ Dux.*

Selagus. *Eutitius Abbas Chiodi.*

Semirus. *Antonius Abbas de Felicibus.*

Sylvaggius. *Franciſcus Blanchini Liberianæ Baſilicæ Canonicus V. S. R. & Pontif. Sacelli Subdiaconus.*

Syralgus. *Philippus Abbas Leers.*

Theodoſſus. *Melchior Card. de Polignac Archiepiſc. Auſcitanus.*

Theophilus. *Benedictus XIII. Pont. Max.*

Thoas. *Petrus Antonius Annibaldenſis de Molaria Eccleſiæ Lateranenſis Canonicus, & Generalis Eccleſiaſticorum Armorum Commiſſarius.*

Tyrrhus. P. *Ioſeph Carpani S. J. In Coll. Rom. Studiorũ. Præf.*

Thyrſillus. *Aloyſius Eques Zappi.*

Thyrſis. *Io. Bapt. Adv. Zappi Agriculturæ Aſſeſſor, ex Arcadiæ Inſtitutoribus.*

Timoleon. P. *Io. Antonius Timoni S. I. Sem. Rom. Rector.*

Tireſias. *Dominicus Rolli.*

Trinurus. P. *Paulinus a St. Ioſeph. Scholar. Piar. in Rom. Archigym. Eloq.* Prof.

Tymbrides. *Io. de Certain Sorbonæ Doctor, Dolonis Abbas, Regis Chriſtianiſſimi Theologus, & in Infæcundorum Accademia una cum authore adpræſens Aſſeſſor.*

Varenus. *Hortenſius Giroldi de Iugo.*

Vatilius. *Caſimirus Roſſi Archiepiſcopus Tarentinus.*

Vlipius. *Io. Ant. Vulpius. In Univerſitate Patavina Olim Phyſices, nunc verò Humanior. Litterarum* Profeſſor.

Uranius. *Vincentius Abbas Leonius ex Arcadiæ Inſtitutoribus.*

Urſacchius. *Xaverius Comes* Panſuto *Regius Neapoli S. Claræ Conſiliarius.*

Zelalgus. *Marius Guarnacci Baſilicæ Lateranenſis Canonicus, & V. S. R. &c.*

Digitized by Google

INDEX
RERUM.

AB Alſatia (Cardinalis Thomas Philippus) ejus Laudes, & merita, 47. & ſeq.
Acciajoli Philippus.42.
Æquinoctialis linea. 83.
Ætati cuique curæ propriæ. 122.
Ætna mons. 88.
Agonalis Circus 49.& ſeq.
Albani Cardinalis Annibal) laudatus. 56.& ſeq.
Albani(Abbas Jo.Fràciſcus.) 112.
Alpheſibœus Arcadiæ Cuſtos Generalis. 22. 40.41. 64.& ſeq.89.& ſeq.
Animi noſtri, & voluntatum vices. 122.
Anienis præceps è rupe deſcenſus,& ejuſdem in Tyberim declinatio.26.
Anni Jubilæi deſcriptio. 58.
Apollo Admeti Paſtor 74.
Aquaviva deAragon. [Card. Trojanus]Archiep.Montis Regalis. 120.
Arcadiæ Laudes.4. 31.40.92.
Arcadiæ Stemma Syrinx. 4.
Areoſtus (Ludovicus) 27. 61.
Auctoris Arcadica Inauguratio. 4. & ſeq.
Apum utilitas.138.
Auctoris Mentio. 15. 29. & ſeq. 89. & ſeq.106.& ſeq. 113.& ſeq.120.122.&ſeq.
Aventinus Mons. 115.124.

BAcchus 62. 127. & ſeq.
Barbadicus Ven. Card. Greg. 11.
Barbadicus Card. Jo.Franc. 77.
E Bavaria (Violantes Beatrix) Magna Hetruriæ, Princeps.61. & ſeq.67. & ſeq. Ejus Epitaphium. 12.
Benedictus XIII. P.M.61.
Blanchinus Franciſcus.85.
Bombycũ utilitas.138.& ſeq.
Borghina (Catharina) ejus Cultiſſimæ Elegiæ. 72.
Borromæus[D.Carolus.]69.

CÆſar (Julius) 94.
Capitoliũ Triumphantium, & Poetarum Coronationibus deſtinatũ. 61. & ſeq.
Caputus [Salvator] Cerveti Marchio. 92.
Caroli VI. Cæſaris Elogia. 15. 24. & ſeq.
De Carpineo Cardinalis Gaſpar [Hermes] 24.
Carrara (P.Ubertinus) S.J. (Eudoſſus)ejus laudes.22. & ſeq.
Caſini Montis laudes.62.
Cicero. 94.
Clementis XI. P.M. Laudes. 15. & ſeq. 19. & ſeq. 25. 56. & ſeq.
Clemens XII.P.M.116.121. Ejus Laudes.133.
Conti (Abbas Antonius) N. V.,& ejus inſignis Tragœdia Cæſar. 85. & ſeq.
Coloniæ Arcadum 40.
Contucci (P. Contuccius) S.J.,Lyrenus;ejus de Lingua Italica Poetici Libri quatuor laudati.33.
Coſmus III. Magnus Dux Hetruriæ. 42.
Cryptæ Ferratæ Templum Virgini Sacrum. 5.
Cybo. Card. Camillus. Ejus Laudes,& Villę deſcriptio 109.& ſeq.
DAntes. 94.
Daphne à Phœbo fruſtra amata. 54.
Dei Filius Reparator Humani Generis. 23.
Deiparæ Virginis præcipuæ Figurę. 5. & ſeq.Ejuſdem Laudes. 140.& ſeqq.
Deus omni hominum Conditioni idem. 40.
Deus præmiorum , & pœnarum Æquiſſimus diſpenſator. 23.
Deus Unus , & Trinus.23.
EUgenii Principis è Sabaudia Laudes.15. 22.24.& ſeq. 32. ejus Epitaphium. 116.
Exquilię,ubi Templum Virgini Matri Sacrum.60.68. & ſeq.
FAlconerius Card. (Alexander) ejus laudes. 46.
Famæ Deſiderium Hominibus commune. 113.
De Felicibus (Antonius) Semyrus.37. & ſeq.
Felicitas vera per Virtutem unicè,non per externa bona acquirenda. 17. ſeq.

Ferrari Cardinalis Thomas Maria Ordinis Prædicatorum (Philaretes) 24.
De Firmian LeopoldusArch. & Princeps Saliſb. Excelſi titulo donatus.24.& ſeq.
Flaccus (Horatius) 94.
Fluminum minorum majoribus, & majorum Oceano perpetuum vectigal.26.
Forriguerra (Nicolaus) 33. & ſeq.

GAſparrius [Franciſcus Maria] Auctoris Levir.19.114. ejus mors.115.
Gavotti (Abbas Raymundus) 78. & ſeq.
Gentili Card. Antonius Xaverius SS. Domini Prodatarius, & Infœcundorum Accademiæ Protect. 116.
De Gherardeſca (Gherardus) ejus, & Familiæ laudes. 25.
Grimaldi (Franciſcus) S J. ejus eximium opus Poeticum de Vita Urbana laudatum. 25. & ſeq.
Guarnacci (Marius) V. S. R. &c., ejus Hecuba Euripidis, & Troas Senecæ in Italicum Idioma tranſlatæ. 86.

HErcolani Joſeph. V. S. R. &c.117.
Homerus 10.94.127.
Hominis Noviſſima.60.
Hominum Deſideria diverſa. 137. & ſeq.

JAni Templum belli tempore apertum, & illud aperiendi Ritus.58.
Jaſpis; ejus Poetica Metamorphoſis. 52. & ſeqq.
Infœcundorum Accademiæ 113. 122.
Innocentius XIII. P. M. Laudatus.48.& ſeq.51. & ſeq.
Joannes V. Luſitaniæ Rex (Aretes) ejus in Arcadas Munificétia Celebrata.73. & ſeq.

LAbor in ſtudiis intermittendus. 18.
Lateranenſis Eccleſia. 121. 133.
Latinorum auctorū qui præcipui habentur, cognitio habenda. 94.
Laurentini(Franciſcus)Phylacidas Arcadiæ Cuſtos Generalis; ejus laudes.47.
Lauretani Templi laudes. 68.
Lelli Abbas Franciſcus. 106.

Li-

Livius [Titus] 94.
Loyola (D. Ignatius.) 69.
Ludi Olympici ; eorum deſcriptio, & ad Arcadicas conſuetudines tranſmigratio. 20. & ſeq.
Lypski Card. Jo. Alexander, ejus in reſpuenda Poloniarum Primatis Dignitate animi moderatio. 133. & ſeq.

MAgliabechi Antonius [Diotimus] ejus portentoſa memoria. 23.
Maro (Virgilius) 94.
Marchetti [Alexander] Alterius ; ejus laudes. 24.
Marcolini (Bajulivus Petrus Paulus) laudatus. 103.
Melytes, & Melytenſium Equitum laudes 44. & ſeq.
Metaſtaſius (Petrus) Artinus. 204. & ſeq.
Midæ infelix caſus. 74.
Muſę Heroum laudibus cantandis deſtinatæ. 76.

NAtivitas Domini Feſtum Arcadiæ Tutelare. 8. 66. 67. 80. 101. & ſeq.
Neapolis Laudes. 90. & ſeq.
Neapolitani Poetæ Veteres, ac Novi recenſiti, & laudati. 91. & ſeq.
Nec nimis timendum, nec nimis audendum. 97.
Nepos (Cornelius) 42.
Nerius [D. Philippus] 64.
Nobilitas vera quæ ſit. 50.

De OSaſco Comes Hieronymus) 62.
De Othonibus [Comes Hieronymus] Ottenus. 89.
Otia vitanda. 93.
Otthobonus [Cardinalis Petrus] Cratæus ; ejus Pietas, & Munificentia &c. 68.

PAcis Encomia, & in Nativitate Domini in Terras Reditus. 58. & ſeq.
Pallavicini (Stephanus) Eriphilus ; ejus Italica Horatii Verſio. 66. 130., & ſeq. 135. & ſeq.
Panici (P. Jacobus) S. J. (Aruns) ejus laudes. 23.
Panos Encomium. 4.
Parcarum in hominum vitas dominium. 76.
Parrhaſii Nemoris deſcriptio p. 2. 64. & ſeq. 66.
Paſtoralium Carminum apta materia res tantum Paſtorales. 30.

Pa-

Patavium Scientiarum, & Poeſis asylum. 77.
Perfetti [Eques Bernardinus] Alaurus, laureâ Coronâ à Senatu, Populoque Romano donatuſ.61.
Petrarca in Capitolio Laureatus. 61.
Petronilla Paolini Marchioniſſa Maximi (Phidalma) ejus Epitaphium.p.63.
PetroniusAbbas Proſper(Alcides). 121.
PhilamarinusMarcellus Epiſcopus Mileti. 92.
Philoſophicæ quædam quæſtiones Poeticè attinguntur. 18.
Piccolomineus) Ænæas Sylvius) Liberianæ Baſilicæ Canonicus,& SS. Domino ab Epiſtolis Latinis &c. 116.
Pietas omnium bonorum origo. 92.
Pius II. P. M. antea Ænæas Sylvius Piccolomineus. 116.
Poetæ Græci legendi.94.
Poetæ præcipui legendi. 94.
Poetæ qui verè ſint.3.
Poetarum nomen æternum. 19.
Poetarum optimorum numerus exiguus. 36.
Poetarum quorundam noſtrorum Temporum Romæ extinctorum recordatio 114.
Poetarum ſpes plerumque vanæ 50.
Poetarum, & Illuſtrium Virorum Fama poſt mortem perennis. p.3.
De Polignac(CardinalisMelchior) ejus munificentia, & laudes. 98. & ſeqq.
Poloniarũ, & Saxoniç Princeps Fridericus, [Luſatius] 1.130.& ſeq. 135. & ſeq. 139.
Portç Sanctæ anno Jubilæi reſeratç. 58.
Præſepe, & Incunabula Domini in Baſilica Liberiana aſſervatâ.60. 106.& ſeq.
Priami ad Achillem Oratio pro repetendo Hectoris Cadavere. 10. & ſeq.
Prudentia rerũ magiſtra. 97.

QUatuor Anni Temporum vices, & velociſſimus curſus. 28. 80.
De Quintiis(P.Camillus Eucherius) S.J.92.
Quirini Card. D. Angelus Maria.108.

Reg-

Reggio Agathinus Maria. 119. & ſeq.
Rerum Eventus varii 78. & ſeq.
Rerum omnium viciſſitudo 113.
Riozzius Abbas Angelus Apoſtolici Nuntii Neapoli Auditor 92.
De Rotundis (Petrus) Ejus de Victus ratione in Febri acuta opus laudatũ. 120.

Salluſtius [Criſpus] 94.
Saxonicæ Gentis in Litteris, & armis prçſtantia. 131.
Saxonicæ Regiæ Familiæ Laudes. 131. & ſeq.
Scripturæ S. Studium Eccleſiaſticis neceſſarium. 93.
Septem Sacramenta. 97. & ſeq.
Serra (Nicolaus) laudatus, & ad Romanæ Aulæ honores aſſequendos invitatus. 70. & ſeq.
Servorum, & Aurigarum Familiaritas Nobilibus Adoleſcentibus fugienda. 96.
Sibylla Cumœa. 87.
Sibylla Tyburtina Auguſto Cæſari apparet, & Nativitatem Domini prædicit. 8. & ſeq.
Sibyllæ Tyburtinæ deſcriptio, & ejuſdem Poeticus cum Auctore congreſſus. 86. & ſeq.
Sobieski (Alexander) Poloniarum Princeps; Armon. 22. 67.
Sobieski (Maria Caſimira) Poloniarũ Regina (Amyriſca) ejus laudes. 22. 67. & ſeq.
Solis in inferiores res magiſterium. 75.
Sol mundi regula. 84.
Somnia res viſas obũbrant. p. 2.
Spinelli [Card. Joſeph] Archiep. Neap. 120.
Strozzius (Petrus Aloyſius) ejus laudes. 92. & ſeq. ejus mors. 97. 119.
Studiis incumbendum. 93.
Subterranei Calores rerum Generationi unà cum Solis caloribus inſervientes. 75.
Sulphur in ſubterraneis locis efferveſcens. 88.
Sulphur rerum ferè ſingularum origo, & nutrimentum. 88.
De Synzendorf: [Card. Phi-
lip-

lippus Ludovicus] Epiſc. Wratislav. 120.
Syringis Metamorphoſis. 4.

TAſſus (Torquatus) 61. 94.
Templum Exquilinum, ſeù Baſilica Liberiana S. Mariæ ad Nives, & ad Præſepe. 9. 60. 68. 106. 141. 142. & alibi.
De Tencin de Guerin (Card. Petrus) Archiep. Ebredunenſis, ejus in Apoſtolicam Sedem Merita p. 134.
Terraquei Globi Geographica, & Poetica deſcriptio. 81. & ſeq.
Theocritus. 94.
Thienæus [D. Cajetanus] 69.
De Thyram Comes Leopoldus. 117. & ſeq. ejus mors. 119.
Tmoli Judicium. 74.
Tranſtyberim S. Mariæ Baſilica ad Fontem Olei. 9.
Tybris 26. & ſeq.
Tybur. 26. & ſeq. 86. & ſeq.

VAleſius [Franciſcus] laudatus. 133. 126. & ſeq.
Veſuvius Mons. 88.
Virtus Laudata, ſed neglecta. 126.
Vitiorum Capitalium congeries. 32.
Vitioſi homines nobilibus Adoleſcétibus fugiendi. 95.
Urania Muſa Aſtrorum, & Mathematices cognitioni aſſignata. 23.
Vulgi Amor, & Odium. 96.
Vulpius [Jo. Antonius] laudatus. 85.

ZAppi (Eques) Aloyſius Thyrſillus, 108.
Zappi (Fauſtina Maratti) Aglauro. 37.
Zappi [Jo. Baptiſta] Thyrſis; ejus mors, & laudes. 34. & ſeq.
Zodiaci Circulus. 83. & ſeq.
Zondadarius (M. Antonius) Magnus Hieroſolymitani Ordinis Magiſter; ejus laudes, & præcipua geſta. 42. & ſeq.

ERRATUM INSIGNE.

Pag. 145. *v.* 17. ſic Roma &c.
Corr. Sic me Roma fovet, ſic Reges Alloquor; & jam.

Carminum Latinorum Librum Miraei Ropheatici P. A., & Arcadiæ Procuſtodis Generalis, nobis perlegendum, & examinandum traditum, Paſtoritio nomine, communique ſigno edendum, ac promulgandum cenſemus.

Ithaſpes Zetianus P. A. Cenſor.

Lyſanias Aliſianus P. A. Cenſor.

Nicaſius Porrinianus P. A. Cenſor.

Quando ita viſum eſt Cenſoribus, qui Librum ſupra-enunciatum perlegerunt, perlectumque probarunt, Paſtoritio nomine illum edere, communique ſigno imprimere, jus eſto. Datum ex Cuſtodia Arcadum, XII. Pianepſionis Stantis, Olympiadis DCXXIX. Anno III. Ab A. J. Olymp. XIII. Anno II. ineunte.

Phylacidas Lucinianus Generalis Arcadiæ Cuſtos.

Alcides Phoenicius Subcuſtos.



ROMÆ, MDCCXL,

Ex Typographia Joannis Zempel.

VA1
1527591

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

15

18/H/38

Digitized by Google